Ordines suos canonici ita conservent, ut ordinati sunt in gradibus suis secundum legitimam institutionem Romanae ecclesiae, in omnibus omnino locis, id est, in ecclesia, vel ubicumque insimul se coniunxerint, et ratio praestat; exceptis his, quos episcopus in altiore gradu constituerit, vel degradaverit certis ex causis; reliqui omnes, ut diximus, ita ut ordinati sunt, ordines suos custodiant. Iuniores igitur priores suos honorent. Priores iuniores [4]) suos in Deum diligant.

In ipsius autem appellatione nominis nulli liceat alium puro nomine appellare, sed secundum constitutionem sanctae ecclesiae sedis Apostolicae vocet eum nomen suum, prius addito et ministerii sui gradu, qualiscumque fuerit. Ubicumque autem se obviaverit clerus [5]) iunior inclinatus a priore benedictionem petat; et si sedentem invenerit, transeunte maiore minor surgat, et det ei locum sedendi, nec praesumat iunior consedere, nisi ei praecipiat senior suus; ut fiat quod scriptum est: *Honore invicem praevenientes* (Rom. 12).

Pueri parvi, vel adolescentes in oratorio, vel ad mensas [6]) cum disciplina ordines suos custodiant: foras autem, ubi [7]) et ubi custodiam habeant disciplinam.

---

1) *al.* destabilem inimicamque Dei superbiam ab eis retrahamus. 2) *al.* Christus in humilitate, diabolus in superbia sedet. 3) *al.* et vultu rigidus. 4) *al.* minores. 5) *al.* clerus, iunior inclinetur, et a. 6) *al.* Missas. 7) *al.* et ubicumque fuerint.

Cap. III. *Ut in illa claustra omnes in uno dormiant.*

Ita instruimus ut in illa claustra ille clerus canonicus, qui sub ipso ordine, Deo adiuvante, vivere debent, ut omnes in uno dormiant in dormitorio: praeter illos quibus episcopus licentiam dederit, secundum quod ei rationabiliter visum fuerit, ut in ipsa claustra per dispositas mansiones dormiant separatim: et per singula lecta singuli dormiant, et in dormitorio similiter separatim dormiant mixti cum senioribus, propter praevidentiam bonam, ut seniores praevideant quod iuniores secundum Deum agant. Et in ipsa claustra nulla femina introëat, nec laïcus homo, praeter tantum si episcopus, aut archidiaconus, vel primicerius iusserint. Ut in refectorio pro refectionis causa veniant, relinquant arma sua ante refectorium, et statim cum exierint de refectorio ducantur foras claustra: et si necesse fuerit, ad opera facienda intrent ibi laïci homines: at ubi perfectum habuerint opus suum, cum summa festinatione egrediantur foras: et praeter causam necessitatis, si coqui clerici desunt et opus fuerit, laïci coqui ad coquinandum tantum ingrediantur, expleto ministerio suo cum celeritate exeant foras.

Et per illas mansiones ipsi clerici canonici nullum clericum eorum habeant sine praecepto episcopi sui: et si permiserit ut habeant, sic sit conversatio illorum cum humilitate et Dei timore, qualiter nec Deo, nec episcopo displiceant, nec illis, qui sub sua manu ipsam congregationem regunt. Et si aliter fecerint, ille qui praeest aut excommunicet eos, aut corporalem disciplinam accipiant. Et in ipsas mansiones intra ipsa claustra, nec clericus, nec laïcus bibere, nec manducare nec dormire non praesumant; nisi ipsi clerici qui in ipsa congregatione sunt, aut illi clerici, qui ibidem in ipso claustro per iussionem episcopi sui senioribus suis deserviunt. Et qui de ipso clero unum clericum in ipsa claustra, ut diximus, habuerit, hoc praevideat, ut planetam cum reliquis vestimentis habeat, et diebus Dominicis, vel reliquis festivitatibus in ecclesia Dei vestiti in ordinibus suis stent.

Cap. IV. *De completorio, vel taciturnitate.*

Ut ad completorium omnis clerus, qui in ipsa congregatione est, veniat, et omnino omni tempore incipiente nocte primum signum ad completorium sonet: et cum primitus illud signum, qui ad hoc ordinatus fuerit, auditum fecerit, statim ubicumque fuerint ad eorum claustra veniant: et cum iterum ipsum

signum audierint, sic omnes in ecclesia sancti Stephani[1]) sint, et tunc in Deo nomine completorium cantent. Et postquam completorium cantatum habuerint, postea non bibant, nec manducent usque in crastinum legitima hora; et omnes silentium teneant, et nemo cum altero loquatur usque mane post primam cantatam, nisi si necesse fuerit, et hoc cum suppressione vocis cum grandi cautela; ut de illa alia mansione, quae iuxta est, sua vox non audiatur; et qui de illis ad completorium non fuerit, postea illam noctem non praesumat illa ostia tundere, nec per ullum locum in ipsa claustra ingredi, antequam ad nocturnas veniant. Nec archidiaconus, nec primicerius, nec ille ostiarius ullum commeatum exinde donare possint, ut post completorium aliquis ibi ingrediatur, nisi ad nocturnas; nisi tantum si talis causa evenerit, quod necesse sit, ut hoc ille archidiaconus, vel primicerius, vel qui tunc temporis exinde praeviderit, ad illum episcopum possit dicere pro qua causa hoc factum fuisset; et si ita est quod necesse sit, tunc licentiam habeant introeundi et exeundi. Et si contigerit, ut opus sit post completorium aliqua causa in claustra nunciare, tunc ad illum custodem de sancto Stephano veniat, et illi patefaciat, et ipse hoc in claustra nunciet. Et si (quod absit) evenerit, ut ullus de ipso clero, qui ante completorium in civitate venerit, aut antea ibidem fuerit; quod si ausus vel praesumptuosus, aut negligens suadente diabolo fuerit ut in civitate aliqua nocte alicubi maneat, nisi in sua claustra; si una vice hoc fecerit, si pro vitio factum non est, verbis corripiatur: et si iteraverit ipse clericus, nunc ipsa die sit in pane et aqua: et si tertia vice hoc fecerit, tres dies in pane et aqua sit: et si amplius hoc facere praesumpserit, corporali disciplinae subiiciatur, sic, ut ceteri timeant: et si aliquid suadente diabolo per hoc retardaverint, ut ante completorium in civitatem non veniant, ut licentiam haberet foras claustra esse; et hoc episcopus, aut archidiaconus, vel primicerius investigare potuerint; ille clericus qui hoc vitium fecerit, aut excommunicetur, aut corporali disciplinae subiaceat.

Cap. V. *De officiis divinis in noctibus.*

Hiemis temporibus, id est, a Kalendis Novembris usque in Pascha, iuxta considerationem rationis[2]) amplius de media nocte

---

1) Haec Metensis urbis primaria basilica est. 2) *al.* octava hora noctis surgendum est, ut modice.

pausetur, et iam digesti ad vigilias surgant: finitis nocturnis dicant versum [1]), *Kyrie eleïson,* orationem Dominicam, et faciant intervallum; excepto diebus Dominicis et festivitatibus sanctorum, iuxta considerationem episcopi, vel qui sub eo sunt [2]), id est, quadraginta, vel quinquaginta psalmos possit [3]) cantare, qui hoc ordinat, aut cum ei visum fuerit et hora permiserit. Et qui psalterium [4]), vel lectionem aliquid indigent meditationem [5]) inserviant, et meditent in ipso intervallo qui possunt capere; et qui non possunt, in ecclesia omnes aut cantent, aut legant; et non praesumat aliquis in ipso intervallo dormire, nisi infirmitate [6]) cogente, et hoc per commeatum faciant: et qui aliter fecerit excommunicetur: reliqui omnes ordinem vigiliarum teneant usque ad matutinas dictas. Hora prima omnes in ecclesia sancti Stephani cantent primam.

Cap VI. *Ut omnes per horas canonicas ad officium divinum veniant.*

Ad horam divini officii mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quaelibet fuerint in manibus, qui sic propinquo de illa domo sunt ibidem occurrere possint, cum summa festinatione veniant; et si longe ab ipsa ecclesia aliquis fuerit, ita ut ad opus Dei per horas canonicas occurrere non possit, archidiaconus ita esse perpendit, agat opus Dei cum tremore divino ubi tunc fuerit; et praevideat archidiaconus, vel primicerius, vel custos ecclesiae, ut illa signa horis competentibus sonent.

Cap. VII. *De disciplina* [7]) *psallendi.*

Ubique credimus divinam esse praesentiam, et oculos Domini speculari bonos et malos; maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum adsistimus; et ideo semper memores simus quod ait propheta: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (Psalm. 2). Et iterum: *Psallite sapienter* (Psalm. 46). Et, *In conspectu Angelorum psallam tibi* (Psalm. 137). Nam si cum hominibus [8]) potentibus volumus aliqua suggerere, non praesumimus nisi cum humilitate

---

1) *Exsultabunt sancti in gloria:* aut, *Exsultent iusti in conspectu Dei.* Deinde. 2) *al.* est. 3) *al.* possint cantare secundum quod visum fuerit et hora permiserit. 4) *al.* psalterii vel lectionum. 5) *al.* meditationi inserantur. 6) *al.* quem infirmitas cogit. 7) *al.* diligentia. 8) *al.* bonis hominibus vel potentibus.

et reverentia; quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est? Illud in timore curavimus, secundum quod Romana ecclesia tenet, et nostra synodus iudicavit, ut clerus noster in ecclesia, quando ad opus divinum adsistit, nisi infirmitate cogente, baculos in ecclesia manibus non teneant.

Cap. VIII. *Ut ad capitulum quotidie veniant.*

Necesse est, ut quotidie omnis clerus canonicus ad capitulum veniant, et ibidem Dei verba audiant, et istam institutiunculam nostram, quam propter illorum utilitatem ad eorum animas salvandas, Deo auxiliante fecimus, unoquoque die aliquod capitulum exinde relegant; practer tantum die Dominico, et feria quarta, et sexta: tractatus et alias homilias, vel quod aedificet audientes ad capitulum legant. Ideo autem quotidie ad capitulum omnes venire constituimus, ut et anima verbum Dei audiat; et quod episcopus, vel archidiaconus, vel quilibet tunc praeesse videtur, ibidem, quod iubere habet, iubeat; et quod corrigere, corrigat; vel quod faciendum sit, ordinare studeat. Ipsi autem clerici cum de Prima cantata ad mansiones vadunt, statim sibi parare festinent, ut quando signum audierint ad capitulum parati cum celeritate veniant; et omnis clerus, qui foris claustra esse videtur, et in ipsa civitate consistunt, omnibus diebus Dominicis ad capitulum veniant parati cum planctis, vel vestimentis officialibus, sicut habet ordo Romanus. Et in ipsis diebus Dominicis, vel festivitatibus sanctorum praeclaris, omnis ipse clerus, ut diximus, qui foras claustra est, ad nocturnas, et ad matutinas veniant; et ipsis diebus, stationibus suis parati custodiant, ut unusquisque in officio suo stet, donec Missa peragitur; et si aliter fecerint, ab archidiacono, vel primicerio excommunicentur; aut etiam, si necesse fuerit, corporali disciplinae subiaceant. Et in ipsis diebus Dominicis, ut diximus, et festivitatibus sanctorum praeclaris, omnes in refectorio cum alio clero reficiantur ad mensas, quae eis ordinatae fuerint.

Cap. IX. *De opera*[1]) *manuum quotidiana.*

Otiositas inimica est animae: propterea decernimus, ut ad iussionem episcopi, vel archidiaconi, seu primicerii, vel qui ab ipsis ordinantur, clerus de capitulo ad opera, ubi eis iniungitur,

1) *al.* opere quotidiano.

exeant, et cum bono animo absque murmuratione obedientiam suam expleant; et quando communem operam non est necesse facere, postea unusquisque quod opus habet faciat.

Cap. X. *De proficiscentibus in itinere.*

Quicumque ex clero in itinere cum episcopo, vel alicubi proficiscuntur, ordinem suum, in quantum iter vel ratio permiserit, non negligant. Et non eos debent praeterire horae constitutae, tam de officiis divinis, quam aliunde.

Cap. XI. *De zelo bono, quem debent servi Dei habere* [1]).

Sicut est zelus amaritudinis malus, qui separat a Deo, et ducit ad infernum; ita est zelus bonus, qui separat a vitio, et ducit ad Dominum et vitam aeternam. Hunc ergo zelum ferventissimo amore exerceant servi Dei, id est, ut honore se invicem praeveniant, et infirmitates suas sive corporum, sive morum patientissime tolerent; et si qua vitia reprimenda [2]) sunt, vel castigatio adhibenda, cum his quibus hoc commissum est videre in bonitate consentiant, et *adiutores* Dei, ut ait Apostolus, exsistant: qualiter vitia, si orta fuerint, possint destruere, ad meliorem statum unumquemque provocare: quia scriptum est: *Qui diligitis Dominum, odite malum* (Psalm. 96): Nam, *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Nam ille animam suam bene diligit, qui se custodit, et alios ad exemplum bonae conversationis et verbis et operibus trahit.

Cap. XII. *Ut non praesumat alter alterum caedere, aut excommunicare.*

Vetetur [3]) in hoc canonico ordine omnis praesumptionis occasio; iubemus atque instituimus, ut nulli liceat quemquam parem suum excommunicare aut caedere: quamvis aliquis sua praesumptione ipsum ad hoc irritet [4]), aut in factis, non est suum adiudicare [5]), sed ad priorem veniat: ille secundum ordinem ipsam causam definiat: et qui hoc facere praesumpserit, ab episcopo, vel ab eo qui sub ipso est, iudicetur.

Cap. XIII. *Ut in congregatione clericorum* [6]) *non liceat alteri alterum defendere.*

Omnimodis cavendum est, ut pro nulla occasione praesumat

---

1) *al.* invicem. 2) *al.* reperta fuerint. 3) *Forte*, ut vitetur. 4) *al.* incitet. 5) *al.* advindicare. 6) *al.* canonicorum.

alter alium defendere: nec quasi parentelae obtentu, aut aliqua amicitia, aut familiaritate, id a canonicis praesumatur: quia gravis occasio scandalorum in congregatione ex hac causa oriri solet. Quod si quis haec transgressus fuerit, acrius coërceatur, ut ceteri timorem habeant.

Cap. XIV. *De confessionibus.*

Hortatur nos scriptura dicens: *Revela Domino viam tuam et spera in eum* (Psalm. 36). Et iterum dicit: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius* (Psalm. 105). Et iterum propheta ait: *Delictum meum cognitum tibi feci, et iniustitias meas non abscondi* (Psalm. 51). Et iterum: *Dixi, pronuntiabo abversum me iniusticias meas Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei;* (Ibidem.) Et item: *Confitemini alterutrum pecata vestra, ut deleantur* (Iac. 1). Et alibi: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem ea confessus fuerit, salvavit animam suam a morte* (Prov. 28). Et Dominus in evangelio dicit: *Agite poenitentiam: adpropinquat enim regnum coelorum* (Matth. 3). Ergo necesse est, ut dum modo suadente diabolo multa contra voluntatem Dei, vel contra Dei praeceptum commisimus, ut per veram confessionem, et veram emendationem [1]), sicut scriptura docet, emendare debeamus. Sancti Patres, qui perfecti fuerunt, ita constituerunt, ut de [2]) praesente, cum aliqua cogitatio mala in corde servorum Dei, suadente diabolo, evenerit, statim per humilem confessionem suo [3]) priori confiteri deberent.

Nos modo desidiosi et fragiles, quamvis per totum eorum vestigia non sequamur, necesse est ut vel ex aliqua parte, iuxta quod Deus possibilitatem nobis dederit, eorum vestigia imitemur; ut per veram confessionem regnum Dei habere mereamur. Ita constituimus, ut in anno, vel binas vices clerus noster confessiones suas ad suum episcopum pure faciat; eis temporibus, una vice in initio Quadragesimae ante Pascha, illa alia vice a medio mense Augusto usque Kalendas Novembris; inter his [4]) diebus cum episcopus licentiam habuerit, et cui necesse fuerit, alio tempore suam confessionem ad episcopum, vel ad alium sacerdotem cui episcopus decrevit facere, quandocumque voluerit et opus habet, faciat. Et cui peccata non impediunt

---

1) *al.* humilitatem. 2) *al.* deinceps. 3) *al.* cito episcopo vel priori. 4) *al.* hos dies.

de clero, omnibus diebus Dominicis et festivitatibus praeclaris debent corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi accipere: quia Dominus in evangelio dicit: *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum in me manet et ego in eo.* Nam si indigne quis sacrosancta mysteria sumpserit, hic *iudicium sibi manducat et bibit.* Et si ullus de clero, quod absit, quando suam confessionem suo episcopo facit, ut sic repletus sit spiritu diabolico, quod ausus sit de suis peccatis aliqua suum episcopum celare: et vadit quasi per alios sacerdotes suas confessiones donando, et vult suum episcopum abscondere scelera sua; quia timet ut removeat eum episcopus de gradu: et si adhuc in gradu non est, non accedat ad gradum, vel ad [1]) corpus Domini promoveat eum, aut illa vitia debeat persequi: si episcopus hoc per quodlibet ingenium investigare potuerit, et adprobatum ei fuerit, corporalem disciplinam, vel carcerem patiatur, vel aliud quod episcopo visum fuerit, iuxta modum culpae, ut ceteri metum habeant, et in tale scelus non cadant: quia nimis improbus est, qui ante Dei oculos peccat, et homini confiteri erubescit, ubi Deo miserante de ipso peccato debet accipere consilium sanitatis.

Cap. XV. *De gravioribus culpis.*

Si quis clericus de ordine canonico graviores [2]) culpas commiserit; id est, homicidium, fornicationem, adulterium, furtum, vel his simile unum ex principalibus vitiis commiserit, corporali castigationi primitus subiaceat: deinde quanto tempore vult episcopus, vel qui sub eo sunt, carcerem vel exsilium patiatur; sciens illam terribilem sententiam Apostoli dicentis: *Tradere huiusmodi hominem in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini* (1. Cor. 5). Et dum in ipso carcere est, nullus ex clero in nullo iungatur consortio, neque in colloquio, nisi cui prior iusserit: solus persistens in poenitentiae [3]) luctu, quandiu priori visum est.

Egressus de carcere, si episcopo, vel qui sub eo sunt, visum fuerit, agat adhuc publicam poenitentiam; id est, suspendatur ab oratorio simul et a Missa [4]): et omnibus canonicis horis veniat ante ostium ecclesiae, ubi prior iusserit, iacens prostratus omni corpore ante ipsum limen ecclesiae, usque dum ingrediun-

---

1) *Forte*, a corpore Domini removeat eum. 2) *al.* gravioris culpae crimen. 3) *al.* poenitentia luctum. 4) *al.* mensa.

tur omnes: et postea erigat se, stet foras ecclesiam ante ipsum ostium, impleat ibi officium suum in quantum potest. Egredientibus de ecclesia similiter prostratus iaceat, usque dum omnes egrediuntur foras: et iacens, vel stans ante ipsum limen cum nullo homine loquatur.

De abstinentia vero, quamdiu, vel qualiter episcopo visum fuerit, vel qui sub eo sunt, mensura, vel hora, qui ei viderit competere: neque a quoquam benedicatur, usque dum reconcilietur. Qui dum vocatus venerit ad reconciliandum ante episcopum vel clerum cum omni humilitate prostratus omni corpore in terra petat ab omnibus veniam; et episcopus secundum ordinem canonicum eum reconciliet.

Cap. XVI. *De his, qui sine iussione iunguntur excommunicatis.*

Si quis frater aliquid [1]) praesumpserit sine iussione episcopi, vel qui sub eo sunt, clerico excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, aut mandatum ei dirigere, aut litteras, subiiciatur excommunicationis vindictae.

Cap. XVII. *De excommunicatione culparum.*

Si quis clericus contumax, aut inobediens, aut superbus, aut ebriosus, aut detractor, aut contradictor, aut rebellis, aut contentiosus, aut murmurans, aut indictum ieiunium transgressus fuerit, aut ad crucem stare iussus contempserit, aut increpatus veniam non petierit, aut in aliquo contrario consistens huic parvulae institutiunculae et praeceptis episcopi, vel qui sub eo sunt, contemptor repertus fuerit; hic secundum Domini nostri praeceptum admoneatur semel et secundo [2]) secreto a senioribus suis. Si non emendaverit, obiurgetur publice coram omnibus. Si vero neque sic se correxerit; si intelligit qualis poena sit, excommunicationi subiaceat; sin autem improbus est, aut minus intelligens, vel incorrigibilis, vindictae corporali subdatur.

Cap. XVIII. *De his, qui in quibusdam levioribus delinquunt* [3]).

Si quis in clero ad opus Dei, vel ad mensam tarde occurrerit, aut pro aliqua causa senior suus psalmodiam vel Missas cantare ordinaverit, et hoc minime impleverit, et si fregerit

---

1) *Forte*, alicui. 2) *al.* bis et ter. 3) *al.* culpis.

quidpiam aut perdiderit, vel aliud quid excesserit: et non veniens continuo ante episcopum, aut qui sub ipso sunt, ipse ultro satisfecerit, et[1]) prodiderit delictum suum; dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi, secundum modum culpae, sicut episcopo, vel qui sub eo sunt, visum fuerit. Nam si ipse sponte confessus fuerit, leviori subiaceat emendationi, ut diximus, secundum modum culpae.

Cap. XIX. *Qualis debeat esse modus excommunicationis.*

Secundum modum culpae, excommunicationis vel disciplinae debet extendi mensura: qui culparum modus in episcopi pendet iudicio, vel qui sub eo sunt. Neque enim ii qui in gravibus peccatis incedunt, vel hi qui in levibus quibusdam delinquunt, aequaliter iudicandi sunt; sed secundum morbum adhibenda est medicina: quia[2]) nec pius medicus sanat vulnera, nec qui accipere spirituale medicamentum renuerit, sanitatem spiritualis medicamenti consequi potest.

Cap. XX. *De Quadragesimae observationibus.*

Licet omni tempore vita Christianorum simplex debet esse et sobria, maxime tamen religiosis mentibus convenit, ut his diebus continentius vivant, et sedula servitute Deo adhaerere contendant. Ideoque decernimus, in illis quadraginta diebus ante Pascha cum omni puritate mentis et corporis noster clerus, Deo iubente[3]), in quantum potuerit, se custodiat. De cibi autem et potus perceptione, in quantum Deus auxilium dederit, parcitatem habeant; id est, ut quotidie, exceptis Dominicis diebus a capite Quadragesimae usque ad sanctum Pascha post dictam vesperam in refectione semper, reficiant; et ab illis cibis se abstineant, vel potu, sicut episcopus cum ratione constituerit. Et alicubi, neque in ipsa civitate, neque in monasteriis, vel quibuslibet locis vel domibus propriis his quadraginta diebus reficiant: nisi forte, si[4]) longe fuerit, ut hora competente ad cibum suum accipiendum cum fratribus adesse non potuerit; tunc propter illam necessitatem licentiam habeat talem cibum sumere, sicut reliquus clerus; et hoc provideat ut horas competentes non antecedat.

Lectioni vero fratres in hac Quadragesima a[5]) Prima dicta

1) *al.* vel celaverit. 2) *Forte*, quia aliter nec pius, etc. 3) *Forte*, iuvante. 4) *al.* pro utilitatis causa. 5) *al.* exceptis diebus Dominicis fuis.

usque ad Tertiam plenam vacent; et foras claustra, nisi tantum per illas ecclesias, quae infra domum sunt, non egrediantur: nisi si necesse fuerit, et episcopus, aut qui sub ipso est, iudicaverit, ut fiat quod fiendum est. Et[1]) post Tertiam tunc temporis capitulum habeant.

A Pascha autem usque ad Pentecosten bis in die reficiant, et carnem manducandi licentiam habeant, nisi poenitentes, praeter tantum sexta feria. A Pentecoste vero usque ad Nativitatem sancti Ioannis Baptistae similiter bis in die reficiant, et a carne abstineant usque ad ipsam Missam. A nativitate vero sancti Ioannis usque ad transitum sancti Martini, ita sicut antea bis in die reficiant: quarta, et sexta feria a carne abstineant. Ab ipso vero transitu sancti Martini usque ad natalem Domini a carne omnes abstineant et usque ad nonam ieiunent omnibus his diebus et in refectorio reficiant. Post Natalem Domini usque in caput Quadragesimae, secunda, et quarta, sextaque feria in refectorio ad nonam reficiant, reliquis his diebus duabus vicibus in eodem refectorio reficiant. A carne vero quarta et sexta feria his temporibus abstineant. Et si dies festus in his duabus feriis talis venerit, si permiserit prior, carnem manducent.

Pro infirmitate vero cleri nostri consideravimus, ut si in quarta vel sexta feria, seu in reliquis aliis temporibus, quales constituimus ut a carne abstineant, necesse est, licentiam habeat episcopus, aut qui sub ipso sunt, pro eorum infirmitatibus, vel necessitatibus, aut festivitatibus considerationem mittere, sicut ille praeviderit quod bene sit.

Mihi autem Angilrhamno archiepiscopo, atque capellano excellentissimi regis Caroli addi placuit, quia dum nos et clerus noster a Pentecoste usque ad octavas ipsius Pascha secundum, vel adventum Spiritus sancti devota mente celebrare videmur, ut his sacratissimis octo diebus clerus sancti Stephani protomartyris, vel noster, licentiam habeat carnem edendi; exceptis illis, qui pro compendio animarum suarum et poenitentia indicta se abstinere voluerint.

Cap. XXI. *De mensis ordinandis.*

Prima mensa episcopi cum hospitibus et cum peregrinis sit, et ibidem archidiaconus, vel quibus episcopus iusserit, sedeant.

---

1) *al.* Et postea faciant quod congruum fuerit, sive in legendo, sive in operando.

Secunda mensa cum presbyteris. Tertia cum diaconibus. Quarta cum subdiaconibus. Quinta cum reliquis gradibus. Sexta cum abbatibus, vel quos iusserit prior. In septima reficiant clerici canonici, qui extra claustra in civitate commanent, in diebus Dominicis, vel festivitatibus praeclaris. Cum autem hora reficiendi venerit, et signum ad refectorium sonuerit, tunc fratres cum festinatione illuc adveniant, et simul in refectorium introëant, simulque orent, et versum dicant; et cum episcopus, vel alius sacerdos benedictionem super mensas tradiderit, omnes, *Amen,* respondeant: et ut dispositus ordo est, unusquisque ad suam mensam accedat.

Clerus vero in refectorio omnino silentium teneat interim quod exinde foras egrediuntur; qualiter illam lectionem divinam possit audire et in corde meditari. Quia sic est necesse, ut quando cibum corporalem recipit, et tunc anima cibo spirituali reficiatur. Et lector, et cellerarius, et portarius, vel septimanarius, vel qui ministrant, quando episcopus cum clero in refectorio reficit, antequam fratres in refectorium veniant, mixtum de pane et potu accipiant, ut grave eis non sit ieiunium substinere interim quod clerus reficit. Nam lector legat, usque dum iusserit prior, ut expleat lectionem.

Illud omnino cavendum est, ut neque sacerdotes, neque diaconi, neque subdiaconi, vel quilibet de clero cibum, nec aliud quod ad manducandum vel bibendum pertinet, sine iussione episcopi de refectorio portet.

Et hoc cavendum est, ut ante legitimam horam, nisi illi qui hoc providere debent, neque ad manducandum, neque ad bibendum in refectorium intrare non debent sine iussione episcopi, aut qui tunc tempore praeest: neque cellerarium contra rationem inquietare; sed horis competentibus petant quae petenda sunt, et dentur quae danda sunt.

In ipso autem refectorio, neque laïcus, neque clericus, nisi qui in ipsa congregatione sunt, manducent, aut bibant, sine iussione episcopi, aut qui sub eo sunt. Et in claustro ubi clerus ad capitulum venit, vel in refectorio, nullus de clericis servitoribus, qui suo seniori ibi subiecti sunt, ingrediatur; nisi si necesse fuerit, aut episcopus, vel qui sub eo sunt, iusserit.

Cap. XXII. *De mensura cibi.*

Quando clerus noster bis in die reficit per tempora constituta, sicut superius scriptum est, panem quod sufficiet, accipiat;

pulmentum vero ad sextam. Carnem inter duos ministrationem unam, et cibaria una accipiant: et, si cibaria non habent, tunc duas ministrationes de carne, aut de lardo habeant. Ad coenam autem, aut unam ministrationem de carne inter duos, aut una cibaria habeant.

Illo tempore quando quadragesimalem vitam debent ducere, tunc ad sextam inter duos fratres portionem de formatico, et cibaria accipiant; et si pisces habuerint, aut legumen, vel aliud quid, addatur et tertium. Et ad coenam inter duos cibaria una, aut portionem de formatico accipiant; et si Deus amplius dederit, cum gratiarum actione percipiant. Quando autem in die una refectio fuerit, tunc cibaria una inter duos, portionem de formatico, et ministrationem unam de legumine, aut aliud pulmentum accipiant: et si contigerit, quod illo anno glandis, vel fagina non est, et non habent unde liceat mensuram de carne implere postea, praevideat episcopus iuxta quam Deus possibilitatem dederit, aut de quadragesimali, aut [1]) aliunde, unde consolationem habeant.

Cap. XXIII. *De mensura potus.*

Quando bis in die edendum fuerit, presbyteri ad sextam tres calices accipiant, ad coenam duos; diaconi, qui in gradu sunt ad sextam tres, ad coenam duos; subdiaconi ad sextam duos, ad coenam duos: reliqui gradus ad sextam duos, ad coenam unum. Quando autem in die una refectio fuerit; sicut antea in hora sexta, quando bis manducabant [2]), tantos calices accipiant; et quod ad coenam accipiebant de potu, hoc cellerario remaneat: et omnino caveant ebrietatem.

Si vero contigerit, quod vinum minus fuerit, et istam mensuram episcopus implere non potest, iuxta quod praevalet impleat: illi autem fratres non murmurent, sed Deo gratias agant, et aequanimiter tolerent. Nam si esse potest, ut tantum habeant, tunc pro nullo modo non remaneat. Et illis, qui se a vino abstinent praevideat episcopus, vel qui sub eo est, ut tantum habeant de cervisia, quantum de vino habere debuerant. Et si episcopus voluerit ad suprascriptam mensuram aliquid potus addere, in eius potestate consistat, et de cervisia eis consolationem faciat. Nam quando aliqua refectio causis exigentibus venerit, non amplius consentimus ad unam refectionem, quam ut

1) *al.* alimento aut alio. 2) *al.* accipiebant.

supra scriptam mensuram tres calices accipiant, et hoc superfluum nobis videtur; quia *vinum apostatare facit etiam sapientes;* quia ubi ebrietas est, ibi flagitium atque peccatum est. Et hoc admonemus, ut clerus noster sobriam omnino ducat vitam; et quia persuadere non possumus ut vinum non bibant, vel hoc consentiamus, ut saltem in illis ebrietas non dominetur: quia omnes ebriosos apostolus a regno Dei extraneos esse denunciat, nisi per dignam poenitentiam emendaverint [1]).

Cap. XXIV. *De septimanariis coquinae.*

Clerici canonici sic sibi invicem serviant, ut nullus excusetur a coquinae officio, nisi aegritudo [2]), aut in causis gravis utilitatis praeoccupatus fuerit: quia exinde maior merces et caritas adquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia secundum modum congregationis, aut positionem loci.

Archidiaconus vero, et Primicerius, vel cellerarius, seu illi tres custodes ecclesiarum, unus de sancto Stephano, alius de sancto Petro, tertius de sancta Maria, qui in maioribus utilitatibus occupati sunt, isti excusentur a coquina; ceteri autem sibi sub caritate invicem serviant.

Egressurus de septimana sabbato munditias faciat; vasa ministerii sui, quae ad ministrandum accepit sana et munda cellerario reconsignet; et si aliquid ex illis minuatum fuerit, ad capitulum die sabbati veniam petat, et vasa, vel quod minuatum est, in loco restituat, et iuxta quam episcopus, vel qui sub ipso est, iudicaverit, poenitentiam agat.

Cap. XXV. *De Archidiacono, vel Primicerio* [3]).

Oportet eos esse *prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbas:* id est, ut sint sapientes in bonum, et simplices in malum; et docti evangelia [4]) et sanctorum Patrum instituta canonum, ut possint docere clerum in lege divina, et huius parvae institutionis. Et sic se conforment clero, ut non tantum verbis, capacibus; sed etiam exemplo, simplicioribus divina praecepta demonstrent: qui apostoli debent semper servare formam,

---

1) *al.* Habeant canonici hortos olerum, unde cum ceteris additamentis aliquod pulmentum quotidie sibi vicissim ministrent. 2) *al.* aegritudine aut causa gravis, etc. 3) *al.* Praeposito. 4) evangelica praecepta.

in qua dicit: *Argue, obsecra, increpa* (1. Tim. 4); id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta; id est, indisciplinatos, et inquietos debent durius arguere: obedientes autem et mites et patientes, ut in melius proficiant obsecrare: negligentes et contemnentes et superbos ut increpent et corripiant, neque dissimulent peccata delinquentium, sed mox ut coeperint oriri, radicitus ut praevalent amputent, memores periculi Heli sacerdotis de [1]) Silo. Et honestiores quidem, atque intelligibiles prima et secunda admonitione verbis corripiant; improbos autem ac duros corde ac superbos vel inobedientes verbere et corporis castigatione in ipso initio peccati coërceant, scientes scriptum: *Stultus verbis non corrigitur* (Prov. 18); et iterum: *Percute filium tuum virga, et liberabis animam eius a morte* (Ibid.).

Et quidquid per so iuste et rationabiliter secundum canonicam institutionem, vel huius parvae institutionis non potuerint definire, omnino episcopo patefaciant; et ipse secundum Dei voluntatem, quod castigandum est castiget, et quod corrigendum est corrigat. Qui archidiaconus, vel primicerius [2]) in omnibus omnino actibus vel operibus suis sint Deo et episcopo fideles et obedientes; et non sint superbi, neque rebelles, vel contemptores; sed casti et sobrii, patientes, benigni, atque misericordes, *et semper superexaltet misericordia iudicium*, ut ipsi idem consequantur. Diligant clerum, oderint vitia, in ipsa autem correptione prudenter agant, et ne quid nimis; ne dum cupiunt eradere aeruginem, frangatur vas; meminerint *calamum quassatum non conterendum.* In quibus non dicimus, ut permittant nutrire vitia, sed prudenter et cum caritate ea amputare festinent. Caveant, ne dum aliis praedicaverint, ipsi reprobi efficiantur; intendentes illud Dominicum praeceptum: *Et qui in oculo fratris sui festucam videbas, in tuo trabem non vidisti: Eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui* (Matth. 7).

Qui archidiaconus, vel primicerius [3]) si reperti fuerint, quod absit, superbi, aut elati, ant contradictores, vel contemptores canonicae et huius parvae institutionis, ii secundum Dominicum praeceptum admoneantur semel et iterum: si non emendaverint, ab episcopo secundum modum culpae iudicentur. Quod si neque sic correxerint, de ordinibus suis eiiciantur, et alii qui

1) *al.* de filiis suis. 2) *al.* primitiarius. 3) *al.* praepositus.

digni sunt et voluntatem Dei vel episcopi sui secundum divinum praeceptum impleverint, in locis illorum subrogentur.

Cap. XXVI. *De cellerario.*

Cellerarius vero debet esse timens Deum, sobrius, non vinolentus, non contentiosus, non iracundus, sed modestus, moribus cautus et fidelis, et [1]) quidquid acceperit sub cura sua ad opus clericorum fideliter custodiat, et sine iussione episcopi sui, aut qui sub ipso est, nihil faciat: et non sit prodigus nec exstirpator substantiae clericorum: quia si fuerit, sine dubio in die iudicii redditurus erit Deo rationem. Nam, si bene ministraverit, gradum bonum sibi adquiret.

Cap. XXVII. *De portario.*

Portarius unus cum suo iuniore annum, aut amplius, si episcopo placuerit, portas [2]), claustra, vel ostia custodiat. Qui portarius sit sobrius [3]), patiens, qui sciat accipere responsum et reddere, et fideliter custodiat portas, sive ostia claustri, et contra hunc tenorem facere non praesumat; quod si fecerit, excommunicetur. Claves vero portarum ad completorium archidiacono reddat: et si archidiaconus alicubi est, qui sub ipso est, ipsas claves recipiat.

Custodes vero ecclesiarum qui ibi dormiunt, vel in mansiones iuxta positas, teneant silentium, sicut ceteri clerici, in quantum possunt: et post completorium non manducent nec bibant, et non permittant ingredi eos, qui foras claustra post completorium remanserint: nec eos qui intra claustra sunt egredi per ostia sibi commissa. Quod si fecerint, ab episcopo, vel qui sub eo sunt, iudicentur.

Cap. XXVIII. ***De infirmis clericis canonicis, qui peculiarius ad istum ordinem iunxerint, et non habent unde in infirmitate necessitatibus suis possint implere.***

Si aliquis ex clero infirmatur, qui ad hunc ordinem se peculiarius iunxerint, et non habuerint unde in infirmitate necessitatibus suis possint implere; post episcopum habeat de illis maximam curam archidiaconus et primicerius: et caveant ne ne-

1) *al.* non superbus, non tardus, non prodigus, non superfluus dissipator sine ordine, non remissus. 2) *al.* portas claustrae, seu claustri. 3) *al.* frater probabilis vitae.

gligantur infirmi, sed sicut revera Christo, ita eis serviatur. Quia ipse dixit: *Infirmus fui, et visitastis me*; et, *Quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis* (Matth. 25). Ergo omnia necessaria quidquid ipsis infirmis expedierit et opus fuerit eis omnino et absque ulla retardatione adimpleri curentur; quia ipsis respicit quidquid ipsi minus habuerint aut neglecti fuerint. Et sine dubio in diem tremendum iudicii, quando sederit rex vivorum et mortuorum in sede maiestatis suae, de omnibus his rationem erunt reddituri, qualiter eis ministraverunt. Et si ipse archidiaconus vel primicerius ad plenum non habeant unde possint procurare nccessitatibus eorum, hoc omnino episcopo innotescant: et ipse secundum Dei timorem et amorem provideat, ut hoc quod expedit ipsis infirmis, ut habeant unde eis necessitatibus illorum procurent.

Quibus infirmis sint mansiones deputatae super se rationabiliter depositae condignae et aptae, ubi esse possint, dum de infirmitatibus suis convalescunt. Et sit unus ex clero deputatus, timens Deum, qui circa ipsos infirmos maximam curam gerat de omnibus necessitatibus eorum; et habeat solatium, si opus est, iuxta quod constituerit prior, ut absque murmuratione et negligentia serviatur infirmis. Es sciat, si bene ministraverit, gradum bonum sibi adquiret[1]).

Sed et ipsi infirmi considerent in honore Dei sibi serviri, et non superfluitate sua contristent servientes sibi. Qui tantum infirmi portandi sunt: at ubi meliorati fuerint, redeant ad ordines suos.

Cap. XXIX. *De vestimentis clericorum, vel calceamentis, vel ligna.*

Illa media pars cleri qui seniores fuerint annis singulis accipiant cappas novas, et veteres quas praeterito anno acceperunt semper reddant, dum accipiunt novas. Et illa alia medietas[2]) cleri illas veteres cappas, quas illi seniores annis singulis reddunt, accipiant: et illi seniores illas cappas[3]) quas reddere debent, non commutent. Sarciles[4]) accipiant illi presbyteri, qui ibidem in domo assidue deserviunt: et illi diaconi septem qui in eorum

1) *al.* a Deo acquiri. 2) *al.* pars dimidia. 3) *al.* et unusquisque cleri senioris annis singulis tres campsiles accipiunt, et unusquisque cleri iunioris annis singulas duas campsiles accipiunt. 4) *al.* cansiles, *dicuntur in Andegavensi ms.*

gradu consistunt, aut lanam unde ipsos sarciles binos in anno habeant: et ille alius clerus unusquisque singulos. Camisiles autem accipiant illi presbyteri et diaconi annis singulis binos: subdiaconi camisile et dimidio, et illi qui in reliquis gradibus sunt, singulos. Calceamenta vero omnis clerus annis singulis pelles baccinas [1]) accipiant; solas [2]) paria quatuor.

De ligna consideravimus, ut de quatuor libras dedenarios possint comparare ligna sufficienter et annum. Ipsa ligna de illos tellones, quod eis in civitate, vel in villabus sunt, sint comparata: hoc est, quatuor librae ad hoc mittantur. Et Kalendis Maiis ipsum telloneum accipiant, et tunc ipsa ligna comparent. Et illas cappas, et illos sarciles, et illa calceamenta de illos telloneos superius nominatos quod exinde superat, et de illo calciatico, quod ille episcopus annis singulis ad illum clerum reddere consuevit; et de eorum eleemosyna quod ad ipsum clerum specialiter Deus dederit, sint comparata. Et si aliquid exinde fuerit aliud quod eis necesse est comparent, aut in eorum camera recondant. Es si ibidem ad hoc comparandum sufficienter non habuerint, ille episcopus hoc praevideat et mittat, unde hoc totum adimpletum sit ad eorum necessitatem, sicuti superius scriptum est.

Ipsa autem vestimenta, illas cappas, et sarciles, ad transitum sancti Martini accipiant: illos camisiles, viginti dies post Pascha accipiant: illa calciamenta Kalendis Septembris habeant. Et si aliquis ex ipso clero de ecclesia tale beneficium acceptum ab episcopo habet; ut exinde possit procurare necessaria sua, id est, cappas et calceamenta.

Cap. XXX. *De festivitatibus sanctorum.*

Illud intimare complacuit, ut nos et clerus noster festivitatibus Domini, et sanctae Mariae, vel duodecim Apostolorum, seu et reliquorum sanctorum, quas usus est in ista provincia annis singulis celebrare, in quantum Deus possibilitatem dederit, illud officium divinum die noctuque facere procuremus. Et episcopus in [3]) Nativitate Domini [4]), et Pascha Domini, in domo ipsis clericis refectionem faciat, si ad praesens est; et si

---

1) *al.* vaccinas. 2) *al.* soleas, *Add. vulg.* Et vestimenta in transitum sancti Martini, et campsiles in Pascha, et calceamenta in Calendis Septembribus habeant. *Quae vero ad ligna pertinent, omisit.* 3) *al.* vel qui sub eo est. 4) *al.* et Epiphania et Pascha et clauso Paschae, et Ascensione Domini et Pentecoste et festivitatibus sanctorum provinciae suae.

absens his diebus est, tunc in eorum refectorio habeant refectionem sufficienter, sicuti superius scriptum est. Et postquam de refectorio exierint, in caminata[1]) bibant duas vices, aut tres, qualiter consolatio sit, et ebrietas non dominetur.

Et Epiphania Domini, et media Pascha et clausum Paschae, et Ascensione Domini, et Pentecoste, et natalitiis episcopi, istos dies episcopus eis in refectorio ad sextam, refectionem faciat. Et de illis festivitatibus, unde abbatias in ista civitate, vel foras propinquas habemus, sicut consuetudinem habuerunt, refectionem ad clerum facere, hoc omnino non remaneat in quantum possibilitas fuerit.

Et ille archidiaconus, vel qui tunc sub manu episcopi praeesse videtur, hoc recipiat; et ille clero exinde in refectorio refeetionem faciat: et quod superest ad eorum opus cellerario reservetur. Et ille archidiaconus de sua actione, quod ipse ad eorum opus praevidet, Purificationem sanctae Mariae, et omnium Apostolorum, et sancti Ioannis Baptistae, et sancti Remedii eis refectionem faciat ad sextam in refectorio.

Cap. XXXI. *De eo quod, qui ad hunc canonicum specialem ordinem huius congregationis se sociare vult, de rebus quas possidet ad ecclesiam beati Pauli Apostoli solemnem donationem praesentem faciet; reservato tamen tempore vitae suae usufructuario ordine.*

Licet legamus antequam ecclesiam sub tempore Apostolorum ita unanimem concordemque exstitisse, et ita omnia reliquisse, ut singuli praedia sua vendentes ad pedes Apostolorum pretia ponerent; ut nullus eorum sibi aliquid proprium dicere auderet, *sed erant illis omnia communia;* Unde et habere dicebantur *cor unum et animam unam:* quotidie enim circa domus panem frangentes, quod in commune accipiebant tam viri quam feminae, seu parvuli, omnisque vulgus ardore fidei accensi, atque in amore religionis provocati, cunctis cum gratiarum actione sufficientiam praebebant; sed quia nostris temporibus persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut ad aliquantulamcumque similitudinem conversationis eorum nostros animos contrahamus: quia nimis inerter, tepidaeque ac remissae devotionis est, ut quod, sicut diximus, omne vulgus pro

---

1) *al.* caminada.

Dei nomine consensit, nos qui peculiarius canonicis ordinibus inservire debemus, quantulamcumque in partem in hanc perfectionem non consentiamus. Et si omnia relinquere non possumus, sic ad usum tantum nostra teneamus, ut dimissa volumus nolumus fuerint, non ad heredum nostrorum carnalium atque parentum, sed ad ecclesiam, cui Deo auctore in commune deservimus, de cuius rebus stipendia habemus, loco hereditario relinquamus. Ut si cum illis perfectis pro perfecta abrenuntiatione, saeculique huius contemptu corona non tribuitur: vel peccatorum venia, sicut minimis misericordia divina concedatur. Quia sanctus Prosper [1]), vel alii sancti patres, secundum divinam auctoritatem sanxerunt, ut illi clerici, qui de rebus ecclesiae vivere cupiunt, res proprias quas habent, per instrumenta chartarum, Deo et ecclesiae, cui deserviunt, condonent: et sic rebus ecclesiae licentius absque maxima culpa utantur; Ut sicut de rebus ecclesiae ipsi clerici gaudent; ita et ecclesia de rebus ipsorum clericorum cum pauperibus suis sic aucta atque meliorata gratuletur. Ita tamen ut ipsi clerici dum advivent, si ita placuerit, res suas usufructuario ordine per beneficium ecclesiae habeant: ut omnia sint communia, et [2]) propter obitum eorum ad ecclesiam, vel ad canonicum ordinem, cui ante datae fuerant, revertantur. Similiter indicantes ut illi clerici, qui de facultatibus suis sufficientiam habent, de ipsis rebus propriis vivere debeant, si tamen infirmi fuerint, ut in omnibus ad integrum ecclesiae Dei, cui deserviunt, dare noluerint et sic ipsius ecclesiae in amore Christi gratuita servitute, sedulaque modulatione impendant; et sciant se pro hac re, quia rebus ecclesiae sicuti ceteri canonici utuntur, specialem misericordiam a Deo recepturos, cui de propriis rebus inserviunt: quia, si ea quae accepturi erant pro eorum ordinibus de eleemosyna dispensatori reliquerint, nihil habentibus conferenda sine peccato possident sua: quia et ipsi quodammodo relinquunt sua, quando propriis contenti rebus, nihilque de iure debere arbitrantur recipi. Quod [3]) si putant ideo accipi debere eorum quae conferuntur ecclesiae, portionem; nec eam videantur abiicere, quia non possint sua relinquere, quod eis deforme sit, inter suos, pauperes reddi: noverint esse deformius, possessuros de eleemosynis pauperum pasci. Hoc enim providendum est, ut non

1) *Seu potius Iulianus Pomerius, de vita contemplativa, inquit Labbeus.*
2) *Lege*, et post obitum. 3) *Haec sunt valde intricata.*

gravetur mater ecclesia, quam constat quotidie subventioni pauperum, viduarumque, atque orphanorum, simulque egentium, canonum iussione constrictam, debere esse semper intentam.

Igitur quicumque se ad hunc ordinem canonicum, quem modo utcumque recuperare cupimus, sicut in parvulo decretulo, quod digessimus, intimavimus, se sociare voluerit; et de rebus quas habet solemniter donatione per praesentem donet ad ecclesiam beati Pauli ad opus Dei, vel clericis ibidem deservientibus; faciat et precariam, si ita ei placuerit: exinde ab episcopo accipiat, in ea ratione, ut dum advivet, ipsas res usufructuario ordine habeat, et post obiectum [1]) eius cum omni integritate, omnique superposito ad ecclesiam cui datae fuerint, vel ipsius congregationis ipsas res, absque ullius consignatione, vel exspectata traditione revertantur. Et liceat ei de omni mobili ex ipsis rebus quamdiu vivit, et in ipso ordine consistit, eleemosynas tam in pauperes, quam ad ipsam congregationem, quam etiam ubicumque voluerit facere, et necessitates suas explere. Et si aliquod de ipso mobili post obitum eius superfuerit, media pars in eleemosyna eius in pauperes, vel promissas eius, aut ubi voluerit ambulet, archidiacono, aut primicerio, vel cui ipse vivens rogaverit dispensante: et illa media pars in ipsius eleemosyna ad clerum, vel ad ipsam congregationem revertatur. Et ipsi clerici de ipsis rebus, quas in precarias habent, neque de terris, neque de vineis, aut silvis, pratis, domibus, aedificiis, mancipiis, accolabus, vel quibuslibet rebus immobilibus minuendi, aut vendendi, aut commutandi potestatem non habeant; excepto ut diximus de illa fructa, vel quod ibidem laborare potuerint, viventes faciant quod voluerint.

Quod si contigerit suadente diabolo, ut aliquis ex his fratribus, qui ipsas res per precarias habuerint, in aliquo crimine grave, aut leve incidat, poenitentiam iuxta quod episcopus ei iudicaverit, agat; tamen de rebus quas per precariam possidet, exspoliatus pro hac re esse non debeat. Si quis autem eodem modo, quo supra instituimus, ad hanc congregationem, tam unus ex abbatibus nostris, quam quilibet extraneis clericis se sociare desideraverit, eo tenore, ut alii fratres fecerunt, faciat. Quod si alter fuerit, qui se eis voluerit sociare, et omnia ad integrum perfectionis gratia derelinquere: episcopus provideat eis ne-

---

1) *Lege*, obitum, *ut supra.*

cessaria; qualiter opus bonum quod Deo inspirante coepit, adimplere valeat.

Cap. XXXII. *De eleemosynis.*

De eleemosynis accipiendis ita constituimus, ut si aliquis uni sacerdoti pro Missa sua, vel pro confessione, aut [1]) infirmitate, seu pro quolibet caro suo aut vivente aut mortuo aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc sacerdos [2]) a tribuente accipiat, et exinde quod voluerit faciat. Si autem ad omnes sacerdotes sub tali conditione, seu pro quolibet modo aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc omnino tam ad omnes sacerdotes, quam ad omnes canonicos veniat, et omnes hanc eleemosynam communem habeant. Similiter et illae eleemosynae, quae in commune ad omnem clerum veniunt omnes in commune habeant, et psalmodiam, vel Missas pro [3]) ipsis eleemosynis, ut episcopus instituerit, faciant.

Ideo autem mensuram sacerdotibus de eleemosynis recipiendis ad opus proprium fecimus: quia [4]) animis grave pondus existimavimus eis esse, si tam ingentia onera peccantium [5]) solis illis sacerdotibus contingeret portare; Quia facilius Dei misericordiam plures impetrant pro peccatoribus, quam unus, quamvis studiosus; et unusquisque de propria conscientia debet metuere, quanto magis de alienis peccatis non debet sibi supra vires sarcinam peccatorum cumulare.

Has eleemosynas archidiaconus, aut primicerius recipiant, et in necessitatibus fratrum, ut eis opus fuerit, et episcopus iudicaverit, ipsas expendant: et si aliquid exinde superfuerit, in vestiariis fratrum recondant.

Cap. XXXIII. *Diebus Dominicis, vel festivitatibus sanctorum qualiter ad capitulum, seu ad Missam occurrant.*

In diebus Dominicis, vel festivitatibus sanctorum, aut quando iusserit pontifex, vel qui sub eo sunt, mane post primam cantatam omnes induantur vestimenta, officiales cum planetis, sicut ordo ecclesiasticus habet, et sint parati, et absque mora ad officium cum festinatione occurrant. Ut autem auditum fuerit primum signum, omnes ad capitulum veniant, et audita lectione, sub uno accedant ad ecclesiam; et facto secundo signo

1) *al.* aut clerico pro psalmis et hymnis, seu pro seipso. 2) *al.* vel clericus. 3) *al.* pro illo misericorde faciant. 4) *Lege*, quia nimis. 5) *al.* peccaminum.

Die Königliche Regierung wird nicht hindern, dass der Bischof einen Theil der Ueberschüsse aus den Erträgnissen des Intercalarfonds auf bischöfliche Seminarien verwende — vorausgesetzt, dass vor Allem die in der Convention festgesetzten Verbindlichkeiten des Intercalarfonds immer erfüllt seyen.

Zu Art. 12.

Unter den mit der jetzigen Convention unvereinbaren und somit ausser Kraft tretenden Verordnungen versteht die Königl. Regierung selbstverständlich vorzugsweise die Verordnungen vom 30. Januar 1830 und 1. März 1853, sowie das Fundations-Instrument vom 14. Mai 1828, so weit solches nicht von der Dotation des Bisthums handelt, nebst Beilagen C. und D. zu diesem Instrumente.

LXVI. Pii IX. litterae apostolicae d. 22. Iun. 1857, quibus conventio cum serenissimo Wirtembergae rege inita confirmatur.

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum in sublimi Principis Apostolorum Cathedra nullis certe Nostris promeritis, sed arcano Divinae Providentiae consilio col-

locati universam catholicam Ecclesiam Nobis ab ipso Christo Domino commissam regere ac tutari, ejusque utilitatem, prosperitatemque sine intermissione, totisque viribus tueri et amplificare debeamus, tum Apostolicae Nostrae vigilantiae curas, ac sollicitudines ad ecclesiasticas superioris Rheni provincias omni studio convertimus, ut ibi sanctissima nostra Religio majora semper incrementa suscipiat, ac magis in dies prospere feliciterque vigeat et efflorescat. Etsi enim, veluti omnes norunt, recolendae memoriae Decessores Nostri Pius praesertim VII suis Apostolicis Litteris XVII Kalendas septembris anno millesimo octingentesimo vigesimo primo sub plumbo datis, et incipientibus „Provida solersque" ac Leo XII per alias similes Litteras III Idus Aprilis anno millesimo octingentesimo vigesimo septimo editas, quarum initium „Ad Dominici gregis custodiam" ecclesiasticis earumdem provinciarum negotiis, et spirituali illorum fidelium bono accurate consulere studuerunt, tamen apprime cognoscebamus ob rerum ac temporum vicissitudines Nobis alia omnino suscipienda esse consilia tum ad majorem illorum fidelium utilitatem procurandam, tum ad eas removendas difficultates, quae ultimis hisce praecipue temporibus exortae fuerant. Itaque summo gaudio affecti fuimus ubi Serenissimus ac Potentissimus Princeps Gulielmus I Virtembergae Rex Illustris a Nobis efflagitavit, ut ecclesiastica in suo Regno negotia componere vellemus. Quocirca ejusdem Serenissimi Principis votis, quae et Nostra vota erant diuturna et impensissima, quam libentissime obsecundantes, nulla interposita mora, cum ipso Conventionem ineundam existimavimus. Atque huic gravissimo sane negotio manum illico admoventes, Dilectum Filium Nostrum Carolum Augustum S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Reisach pietate, doctrina ac prudentia spectatum, cum necessariis facultatibus et instructionibus deputavimus, ut cum Dilecto Filio Nobili Viro Adolfo libero Barone de Ow, qui ejusdem Virtembergae Regis apud Caesaream et Apostolicam Majestatem Minister Plenipotentiarius ad Nos cum liberis mandatis missus fuerat, rem omnem sedulo diligenterque tractandam et conficiendam curaret. Et quoniam probe noscebamus qua egregia justitia, aequitate, et excelsi animi magnitudine, et qua propensa in Catholicos sibi subditos voluntate ipse Serenissimus ac Potentissimus Virtembergae Rex praestet, idcirco maxima, ac prope explorata spe nitebamur fore, ut res ipsa, Deo bene juvante, juxta Nostra desideria ad felicem adduceretur exitum. Neque inanem

hujusmodi spem Nostram fuisse vehementer laetamur. Etenim post sedulam consultationem, quam rei gravitas plane postulabat, Conventio ipsa pluribus articulis distincta, et a VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae examinata eum eodem Serenissimo Rege fuit inita, atque ad optatum exitum perducta. Cum autem ejusdem Conventionis articuli tum a Nostro, tum a Regio Plenipotentiario die octavo mensis Aprilis hujus anni subscripti fuerint, atque a Nobis ipsis diligentissime perpensi, eandem Conventionem suprema Nostra auctoritate confirmandam esse censuimus, eamque, benedicente Domino, in maximum animarum commodum, et catholicae Ecclesiae bonum cessuram esse confidimus. Hujusce autem conventionis tenor est, qui sequitur, videlicet

Conventio

(ut supra pag. 363).

Cum igitur hujusmodi Conventionis pacta et concordata in omnibus et singulis punctis, clausulis, articulis et conditionibus tum a Nobis, tum a Serenissimo et Potentissimo Gulielmo I Virtembergae Rege Illustri fuerint adprobata, confirmata et ratificata, et cum Ipse Serenissimus Princeps enixe postulaverit, ut pro firmiori eorum subsistentia, robur Apostolicae firmitatis adjiceremus, ac solemniorem Auctoritatem et Decretum interponeremus, Nos plane in Domino confidentes fore, ut pro sua misericordia haec Nostra studia ad componendas in Virtembergae Regno ecclesiasticas res intenta uberrimis divinae suae gratiae donis prosequi dignetur, ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine supradictas Conventiones, Capitula, Pacta, Concordata et Concessiones tenore praesentium approbamus, ratificamus et acceptamus, illisque Apostolici muniminis et firmitatis robur et efficaciam adjungimus, omniaque in iis contenta et promissa sincere et inviolabiliter ex Nostro et S. Sedis parte adimpletum et servatum iri tam Nostro, quam Successorum Nostrorum nomine promittimus ac spondemus.

Majori autem qua possumus contentione monemus et exhortamur Venerabilem Fratrem in eodem Regno Sacrorum Antistitem, aliosque omnes Catholicos tum ecclesiasticos, tum laicos viros in eodem Regno degentes, ut pro sua quisque parte omnia praemissa et pacta ad majorem Dei gloriam, et Christiani nominis decus sedulo ac diligenter observent, et summo

studio eorum omnes cogitationes et curas assidue conferant, ut catholicae doctrinae puritas, et divini cultus nitor, et ecclesiasticae disciplinae splendor, et Ecclesiae legum observantia, ac morum honestas, et christianae pietatis ac virtutis amor et opera in eodem Regno quotidie magis refulgeant.

Decernentes easdem praesentes Litteras nullo unquam tempore de subreptionis et obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis Nostrae aut alio quocumque, quamvis magno, aut inexcogitato defectu notari, aut impugnari posse, sed semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et inviolabiliter observari debere, quousque conditiones et pacta in Tractatu expressa serventur. Non obstantibus Apostolicis et Synodalibus, Provincialibus et Universalibus Conciliis editis generalibus Constitutionibus et Ordinationibus, ac Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, praesertim de jure quaesito non tollendo, nec non quarumcumque Ecclesiarum, Capitulorum, aliorumque Piorum Locorum fundationibus, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, Indultis et Litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus.

Praeterea quia difficile foret praesentes Litteras ad singula, in quibus de eis fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apostolica Auctoritate decernimus et mandamus, ut earum transsumptis etiam impressis, manu tamen publici Notarii subscriptis, et sigillo alicujus personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, plena ubique fides adhibeatur, perinde ac si praesentes Litterae forent exhibitae vel ostensae. Et insuper irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae concessionis, adprobationis, ratificationis, acceptationis, promissionis, sponsionis, monitionis, hortationis, decreti, derogationis, statuti, mandati, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursurum.

Datum Bononiae anno Incarnationis Dominicae Millesimo

Octingentesimo Quinquagesimo Septimo die Decimo Kalendas Julii. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

V. P. Card. Spinola Pro-Datarius.
V. Card. Macchi.
Visa de Curia
Pro R. D. Dominico Bruti Abbreviatore de Curia
Franciscus Vici Sub-Datarius.
Loco † Plumbi. I. Cugnonius.

LXVII. Würtembergische Verordnung vom 20. December 1857, betreffend die Bekanntmachung der vorstehenden Bulle.

Wilhelm, von Gottes Gnaden König von Würtemberg.

Wir haben Uns bewogen gefunden, behufs einer näheren Regelung der Verhältnisse der katholischen Kirche Unseres Landes zu der Staatsgewalt mit dem römischen Stuhle in Unterhandlung zu treten, und es ist unter dem 8. April d. J. eine Vereinbarung zu Stande gekommen, welcher Wir, nach Vernehmung Unseres geheimen Rathes, unter Vorbehalt der ständischen Zustimmung zu den eine Aenderung der Landesgesetzgebung in sich schliessenden Punkten Unsere höchste Genehmigung ertheilt haben. In Folge dieser Vereinbarung hat der päpstliche Stuhl unter dem 22. Juni 1857 die in der Beilage angeschlossene Bulle erlassen, welche mit den Worten: „Cum in Sublimi Principis“ beginnt und in dreizehn Artikeln das Hauptstück der getroffenen Vereinbarung genau und vollständig enthält.

Da die in jenem Artikel der katholischen Kirche eingeräumten Rechte und Freiheiten theils in den in besonderen Beilagen zu dem Hauptvertrage vereinbarten näheren Festsetzungen über deren Ausübung, theils in der Landesgesetzgebung, so weit sie von der Vereinbarung unberührt bleibt, diejenige Umgrenzung finden, unter welcher die in der Verfassungsurkunde der katholischen Kirche zugestandene Autonomie in ihren inneren Angelegenheiten mit Unserem ebenfalls verfassungsmässigen obersthoheitlichen Schutz- und Aufsichtsrechte im Einklange steht, so ist die genannte päpstliche Bulle von Uns angenommen worden und bringen Wir nunmehr dieselbe andurch zur allgemeinen Kenntniss.

Hinsichtlich der Vollziehung der Vereinbarung sind die betheiligten Ministerien, jedes in seinem Geschäftskreise, beauftragt, das Erforderliche einzuleiten oder anzuordnen.

Gegeben zu Stuttgart, den 20. December 1857.

Wilhelm *).

LXVIII. Concordata Badensia d. 28. Iun. 1859 **).

Conventio inter Sanctitatem Suam Pium IX. Summum Pontificem et Regiam Celsitudinem Suam Serenissimum Fridericum Magnum Ducem Badarum.

In Nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis.

I. Circa provisionem Sedis Archiepiscopalis Friburgensis, Canonicatuum et Praebendarum Cathedralis Ecclesiae ea tantum servabuntur, de quibus cum S. Sede conventum est.

II. Archiepiscopus antequam Ecclesiae suae gubernacula suscipiet, coram Regia Celsitudine fidelitatis juramentum emittet sequentibus verbis expressum:

„Ego juro et promitto ad S. Dei Evangelia, sicut decet Episcopum, obedientiam et fidelitatem Regiae Celsitudini et Successoribus suis; juro item et promitto, me nullam communicationem habiturum nullique consilio interfuturum, quod tranquillitati publicae noceat, nullamque suspectam unionem neque intra neque extra Magni Ducatus limites conservaturum, atque si publicum aliquod periculum imminere resciverim, me ad illud avertendum nihil omissurum."

III. Magni Ducis Gubernium cum primum temporum ratio permiserit, curabit, ut Archiepiscopatus suam dotem habeat in bonis stabilibus.

IV. Pro regimine Archidioecesis suae Archiepiscopo omne id exercere liberum erit, quod in vim pastoralis ejus ministerii

---

*) Ast postea idem Rex solennem hanc conventionem mutua fide firmatam rescripto d. 13. Iunii 1861 dato totam sustulit, nullamque ei pro sua parte obligationem inesse declaravit. Loco eius legem proposuit, de qua nunc in comitiis istius regni agitur.

**) Textus conventionis latina lingua conceptus et versione germanica ab utraque parte agnita munitus est. Additamentorum ea, quae a Cardinale de Reisach emanaverunt, sermone italico sed iuncta versione germanica communicata sunt.

sive ex dispositione Sacrorum Canonum juxta praesentem et a S. Sede adprobatam Ecclesiae disciplinam ipsi competit, et praesertim:

1. Beneficia omnia, exceptis iis, quae juri patronatus legitime adquisito subjacent, conferre;
2. Vicarium suum generalem atque extraordinarios Ordinariatus Consiliarios et Adsessores eligere et nominare, nec non Decanos rurales confirmare;
3. Examina tum pro recipiendis in Seminarium alumnis, tum pro iis, quibus beneficia animarum curae obnoxia conferenda sunt, praescribere, indicere et dirigere;
4. Clericis sacros Ordines conferre non solum ad titulos a sacris Canonibus adprobatos, sed etiam ad titulum mensae;
5. Ex sacrorum Canonum praescripto ea omnia ordinare et statuere, quae ad divinum cultum, ad ecclesiasticas functiones sacrasque ceremonias, quaeque ad ea pertinent religionis exercitia, quibus fidelium pietas magis et magis foveatur et confirmetur;
6. In propria Dioecesi Ordines seu Congregationes religiosas utriusque sexus a S. Sede adprobatas constituere, collatis tamen in quolibet casu cum Gubernio consiliis;
7. Convocare et celebrare Synodum tum dioecesanam tum provincialem.

V. Causas omnes ecclesiasticas, quae fidem, sacramenta, sacras functiones, nec non officia et jura sacro ministerio adnexa respiciunt, Archiepiscopi tribunal ad canonum normam et juxta Tridentina decreta judicat; proinde de causis etiam matrimonialibus judicium feret, remisso tamen ad judicem saecularem de civilibus matrimonii effectibus judicio.

Archiepiscopo liberum erit Clericorum moribus invigilare atque in eos, quos aut vitae ratione, aut quomodocumque reprehensione dignos invenerit, poenas ad sacrorum Canonum normam in foro suo infligere, salvo tamen canonico recursu.

Competit Archiepiscopo in Laicos ecclesiasticarum legum transgressores censuris animadvertere.

Licet de jure patronatus judex ecclesiasticus cognoscat, consentit tamen S. Sedes, ut quando de laicali patronatu agatur, tribunalia saecularia judicare possint de juribus et oneribus civilibus cum tali patronatu connexis, nec non de successione quoad eumdem patronatum, seu controversiae agantur inter ve-

ros et suppositos patronos, seu inter ecclesiasticos viros, qui ab iisdem patronis designati fuerint.

Temporum ratione habita Sanctitas Sua permittit, ut Clericorum causae mere civiles, ut contractuum, debitorum, haereditatum judices saeculares cognoscant et definiant.

Item S. Sedes consentit, ut lites de civilibus juribus vel oneribus Ecclesiarum, beneficiorum, decimarum, nec non de onere construendi aedificia ecclesiastica in foro saeculari decidantur.

Eadem de causa S. Sedes haud impedit, quominus causae Clericorum pro criminibus seu delictis, quae poenalibus Magni Ducatus legibus animadvertuntur, ad judicem laicum deferantur, cui tamen incumbit, Archiepiscopum ea de re absque mora certiorem reddere. Quod si in ecclesiasticum virum mortis vel carceris ultra quinquennium duraturi sententia feratur, Archiepiscopo semper acta judiciaria erunt communicanda et condemnatum audiendi facultas fiet, ut de poena ecclesiastica eidem infligenda cognoscere possit. Hoc idem Antistite petente praestabitur, si minor poena decreta fuerit.

VI. Archiepiscopi, cleri et populi mutua cum S. Sede communicatio in rebus ecclesiasticis libera erit. Item Archiepiscopus cum clero et populo libere communicabit. Hinc instructiones et ordinationes Archiepiscopi, nec non Synodi dioecesanae, Concilii provincialis et ipsius S. Sedis acta de rebus ecclesiasticis sine praevia inspectione vel adprobatione Gubernii publicabuntur.

VII. Archiepiscopus ex proprii pastoralis officii munere religiosam catholicae juventutis tum instructionem tum educationem in omnibus scholis publicis et privatis diriget, et super utraque vigilabit. Proinde statuet, quinam ad religiosam instructionem libri et catechismi adhibendi sint.

In scholis elementariis religiosa instructio a Parochis tradetur, in reliquis scholis nonnisi ab iis, quibus ad hoc tum auctoritatem tum missionem Archiepiscopus contulerit nec postea revocaverit.

VIII. Liberum erit Archiepiscopo erigere Seminarium juxta formam Concilii Tridentini, in quod adolescentes et pueros informandos admittet, quos pro necessitate et utilitate Dioeceseos suae recipiendos duxerit. Hujus Seminarii ordinatio, doctrina, gubernatio et administratio Archiepiscopi auctoritati pleno liberoque jure subjectae erunt. Propterea Rectores et Professores seu

Magistros Archiepiscopus nominabit, et quotiescumqne aut necessarium aut utile ab ipso censebitur, removebit.

IX. Quamdiu vero Seminarium juxta formam Tridentini Concilii non fuerit constitutum, S. Sedes ob peculiaria rerum adjuncta consentit, ut interim theologiae candidati in scholis publicis Universitatis Friburgensis studiis vacent, atque Collegium theologicum seu Convictus, qui iam antea existebat, instauretur.

Collegii istius vero regimen et inspectio omnino penes Archiepiscopum erit, qui proinde domesticam disciplinam praescribet, viros ex quibus consilium seu commissio constabit oeconomicae ejusdem Collegii administrationi praeposita, itemque Rectorem, Repetitores et Oeconomum nominabit, atque eos omnes in exercendo munere diriget, ab eoque removebit, si id necessarium esse judicaverit. Sine ipsius consensu nullus alumnorum admittetur, et qui admissi fuerint ab ipso quovis tempore, si opus fuerit, dimitti poterunt. In hoc Collegium Archiepiscopus admittere poterit, quos ecclesiasticae militiae nomen dare cupientes ipse amplioribus philosophiae studiis in Universitate erudiri voluerit.

Consentit S. Sedes, ut Archiepiscopus in hujusmodi sustentando Collegio summam impendere pergat, quam hactenus ex bonis Seminario attributis in Collegium idem erogare consuevit, dummodo ex fundis ecclesiasticis generalibus aliisque pro re catholica destinatis ea praebeantur, quae hactenus tributa sunt, atque si haec non sufficiant, omne id suppeditetur quod collatis cum Archiepiscopo consiliis necessarium esse censeatur.

Omnes vero ejusdem Collegii alumni peractis in scholis Universitatis studiis, in Seminarium sic dictum Clericale apud S. Petrum prope Friburgum situm admittendi erunt ibique manebunt, donec presbyteratus ordine fuerint initiati. Quod quidem Seminarium Archiepiscopo pleno liberoque jure subjectum erit veluti aliud ad Concilii Tridentini formam in posterum erigendum, de quo in praecedenti articulo habita mentio est.

X. Cum autem Gubernium ad rectam catholicae juventutis institutionem Convictus quosdam iis in locis erigere intendat, in quibus jam publica gymnasia seu lycea pro catholicis destinata existunt, poterunt interea et quamdiu Seminaria puerorum desiderantur, inter caeteros illi quoque pueri et adolescentes admitti, qui clero adscribi cupiunt.

Horum autem Convictuum statuta et regulae initis Archi-

episcopum inter et Gubernium consiliis praescribenda ac dein, si opus fuerit, mutanda erunt.

Superiores quoque et Repetitores nonnisi initis cum eodem Archiepiscopo consiliis ex viris ecclesiasticis erunt eligendi. Omnes autem alii in iisdem Convictibus quovis munere fungentes catholici sint oportet.

Inter alumnos catholici tantum pueri et adolescentes erunt admittendi praemisso tamen examine, cui Archiepiscopi Delegatus assistere debebit. Nemo porro admittatur sine Archiepiscopi consensu, nemo item in Collegio retineatur, quem idem Archiepiscopus removendum esse duxerit.

Magistri omnes, qui in ejusmodi gymnasiis et lyceis docendi munus exercent, ex catholicis viris erunt deligendi. Si vero Archiepiscopus aliquid de Magistris, aliisque cuique Convictui addictis, vel de studiorum ratione, vel de disciplina animadvertendum aut reprehendendum esse duxerit, tunc Gubernium eo quo potuerit modo curabit, ut Archiepiscopi animadversionibus et desideriis satisfiat.

Liberum porro erit Archiepiscopo ordinare et statuere ea omnia, quae ad religiosam alumnorum educationem et instructionem in Convictu spectant, et advigilare, ne in quavis tradenda disciplina quidpiam adsit, quod catholicae religioni morumque honestati adversetur. Proinde eosdem Convictus visitare, ad examina Deputatos mittere, atque a Superioribus periodicas rationes exigere poterit.

XI. Facultas theologica catholica Universitatis Friburgensis quoad munus docendi ecclesiasticum Archiepiscopi regimini et inspectioni suberit. Poterit idcirco Archiepiscopus Professoribus et Magistris docendi auctoritatem et missionem tribuere eamdemque revocare, quando id opportunum censuerit, ab ipsis fidei professionem exigere eorumque scripta et compendia suo examini subjicere.

XII. Bona temporalia, quae Ecclesia propria possidet, vel in posterum acquiret semper et integre conservabuntur: oneribus vero publicis et vectigalibus nec non legibus Magni Ducatus generalibus aeque ac caeterae proprietates suberunt.

Bona ecclesiastica nomine Ecclesiae sub Archiepiscopi inspectione ab iis erunt administranda, quibus haec administratio aut ex Canonum dispositione aut ex consuetudine aut ex privilegio aut ex fundatione competit; omnes vero administratores ra-

tionem Ordinario vel ejus deputatis quotannis reddere teneantur, etiamsi illam aliis reddere debeant ex praedictis titulis.

Ob peculiaria autem rerum adjuncta et dummodo publici aerarii sumptibus tum generalibus tum localibus Ecclesiae necessitatibus subveniatur, ea in conservandis administrandisque ecclesiasticis bonis, iisdem rerum adjunctis perdurantibus, erunt observanda, quae in sequentibus articulis statuuntur.

XIII. Omnia cujusque ecclesiasticae fundationis bona nec vendi aut permutari, nec in emphyteusin tradi et hypothecae aliisque oneribus subjici, nec ulla transactione alienari, nec ultra novennium locari, neque eorum reditus in alios a fundationum legibus alienos usus converti ullo modo unquam poterunt sine ecclesiasticae potestatis venia.

Consentit ausem S. Sedes, ut in ecclesiasticis bonis vel alienandis, vel novo oneri subjiciendis, vel in eorumdem bonorum reditibus in alios usus erogandis Gubernii consensus habeatur.

XIV. Bona vero, quae ad Mensam Archiepiscopalem et ad illud Canonicorum collegium, metropolitanum Templum et ad Seminarium pertinent, ea ab ipso Archiepiscopo vel ab eodem Canonicorum collegio juxta Canonicas sanctiones omnino libere erunt administranda, veluti etiam omnes alii fundi, qui vel ex eorumdem bonorum administratione vel ex Archiepiscopalis Sedis, vel cujusque Metropolitani Templi beneficii vacatione supererunt, vel ex novis privatorum hominum fundationibus collecti fuerunt, vel in posterum colligi poterunt.

Fundi vero et bona stabilia, quae a Gubernio pro dote ejusdem Archiepiscopalis Ecclesiae jam attributa sunt, vel in posterum attribuentur, sine Gubernii consensu nec alienari, nec ulli oneri subjici poterunt. Nihil vero obstat, quominus ipsum Gubernium identidem noscere possit, utrum bona ipsa sarta tectaque sint.

XV. Bona autem, quae capitula ruralia sic dicta possident, ab ipsis capitulis libere erunt administranda sub unius tantum Archiepiscopi inspectione.

XVI. Fundi et bona omnia, quae tum ad Ecclesiarum fabricas, tum ad ecclesiasticas cujusque loci fundationes pertinent, per collegia ad eorumdem bonorum administrationem destinata, in singulis catholicis Communitatibus administrari poterunt eo modo, qui invaluit, dummodo tamen Ecclesiae nomine administrentur et Parochi aliique Sacerdotes munus, quo in istis col-

legiis funguntur, ex Archiepiscopi auctoritate et mandato exerceant.

Praeterea iis omnes, qui Catholicorum cujusque loci suffragiis in hoc cooptantur collegium, et ratiocinator ab ipso collegio eligendus tam a Gubernio quam ab Archiepiscopo vel ab eorum deputatis erunt confirmandi. Eorum vero administratio tum a deputatis ab Archiepiscopo Decanis, tum a publicis Gubernii Ministris una simul erit inspicienda.

XVII. Bona autem sublevandis alicujus regionis necessitatibus attributa a Collegiis erunt administranda. Quae Collegia constare debebunt ex catholicis viris pari numero tam a Gubernio quam ab Archiepiscopo eligendis et utrique acceptis. Unicuique vero ex hisce Collegiis praeesse debebit vir ab ipso Collegio deligendus, ratiocinator autem eidem Collegio inserviens a Gubernio et ab Archiepiscopo erit adprobandus.

XVIII. Aliud insuper erit constituendum mixtum consilium seu commissio, quae nomine Ecclesiae sedulo advigilabit administrationi fundorum intercalarium et aliarum generalium ecclesiasticarum fundationum, ac simul supremam curam habebit de administratione omnium in magno Badensi Ducatu ecclesiasticarum existentium fundationum. Quocirca hoc consilium seu commissio nomine tum Archiepiscopi tum Gubernii a singulis administratoribus accepti et expensi rationes exiget et opportunum de unaquaque administratione judicium feret. Quaenam autem fundationes tamquam generales fundationes ecclesiasticae considerandae sint, collatis Gubernium inter et Archiepiscopum consiliis erit statuendum.

XIX. Consilium istud constabit ex catholicis viris pari numero a Gubernio et ab Archiepiscopo electis et utrique probatis. Quoniam vero huic consilio seu commissioni aliquis catholicus vir praeesse debebit, idcirco tam Gubernium quam Archiepiscopus jure pollebit proponendi eos, quos ad hujusmodi munus obeundum magis idoneos judicaverint. Atque ille praesidis munere fungetur, qui tam a Gubernio quam ab Archiepiscopo collatis inter se consiliis fuerit electus et nominatus; ac Gubernium hunc ipsum virum constituet praesidem alterius consilii cui commissum est in Magno Ducatu catholicorum scholarum regimen ac simul cura demandata de bonis administrandis, quae in eodem Magno Ducatu rei catholicae sunt destinata.

Omnis autem agendi ratio seu methodus, qua hoc mixtum consilium seu commissio in proprio munere exercendo uti de-

buerit, a Gubernio et ab Archiepiscopo initis inter se consiliis erit praescribenda.

Omnes vero administratores, tum intercalarium fundorum, tum generalis cujusque ecclesiasticae fundationis, de quibus in Articulo XVIII. verba facta sunt, ex catholicis viris erunt eligendi, collatis inter Gubernium et Archiepiscopum consiliis.

XX. Archiepiscopo porro liberum jus erit cognoscendi ac penitus inspiciendi cujusque ecclesiasticae fundationis statum, rationem, indolem et onera ac documenta, quae ad quamlibet fundationem pertinent, ut rebus omnibus sedulo perpensis, atque initis cum Gubernio consiliis, possit constitui accurata norma, qua cujuslibet fundationis ecclesiasticae administratio erit gerenda et reditus singulis annis erogandi. Hanc quidem normam prae oculis habere et sequi debebit mixtum Consilium seu Commissio in proprio fungendo munere atque in examinandis expensi et accepti rationibus. In stabilienda vero rata expensarum portione, quae in qualibet ecclesia pro cultu divino impendi debeat, praecipua ratio erit habenda petitionum Archiepiscopi, ad quem postea unice pertinet praescribere, quomodo constitutae summae in ipsum divinum cultum tuendum augendumve debeant erogari. Idem Archiepiscopus cum Gubernio consilia inibit quoties propter extraordinarias cultus necessitates opportunum existimabit adhibere reditus, qui alicujus ecclesiasticae fundationis expensis supererunt.

XXI. Beneficia a suis rectoribus ad sacrorum Canonum normam erunt administranda sub inspectione commemoratae mixtae commissionis. Ubi vero beneficia vacaverint, eorumdem bona a Capitulorum ruralium camerariis aut aliis viris, de quibus Archiepiscopus cum Gubernio conveniet, administrabuntur, et reditus cujusque beneficii, qui adimpletis ejusdem oneribus supersunt, fundo intercalari attribuenda erunt, nisi ob pecularia locorum adjuncta reditus ipsi vel in ejusdem beneficii augmentum, vel in majorem illius loci Ecclesiae utilitatem aut necessitatem sint erogandi.

XXII. Archiepiscopus cum omnibus Magni Ducis Magistratibus immediate communicabit.

XXIII. Edicta ac decreta quaecumque, quae cum praesenti Conventione non congruunt, abrogata sunt, quae vero legum dispositione eidem Conventioni adversantur, mutabuntur.

XXIV. Si quae in posterum super iis, quae conventa sunt,

supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Regia Celsitudo invicem conferent ad rem amice componendam.

Beilagen zu obiger Convention.

Vom Palast Sancta-Croce 28. Juni 1859.

In Folge der von Seiner Heiligkeit erhaltenen Ermächtigung befindet sich der unterzeichnete bevollmächtigte Cardinal im Stande, den geehrten Herren Bevollmächtigten Seiner Königlichen Hoheit des Grossherzogs von Baden zu erklären, dass, um hinsichtlich der Ausführung der zwischen dem heiligen Stuhle und Seiner Königlichen Hoheit zur Regelung religiöser und kirchlicher Gegenstände im Grossherzogthum Baden abgeschlossenen Vereinbarung soviel als möglich die Gefahr von Zweideutigkeiten und Ansichtsverschiedenheiten zwischen den Behörden der katholischen Kirche und den Staatsbehörden des gedachten Grossherzogthums zu beseitigen, dem Herrn Erzbischof von Freiburg eine besondere Instruction vermittelst eines eigens dazu bestimmten, in Briefesform zu erlassenden Breve gegeben werden wird, in welche Instruction mehrere Weisungen nach den von den gedachten Herren Bevollmächtigten geäusserten Wünschen und in dem zwischen ihnen und dem Unterzeichneten im Laufe der Verhandlungen vereinbarten Sinne aufgenommen werden sollen.

Diesen Weisungen beabsichtigen die beiden vertragschliessenden Theile die gleiche Kraft beizulegen, wie den Artikeln der abgeschlossenen Convention: der Wortlaut der Weisungen ist in das hier anliegende Actenstück aufgenommen, welche Urkunde einen Theil gegenwärtiger Note bildet.

Indem der Unterzeichnete diese Mittheilung an die geehrten Herren Bevollmächtigten richtet, beehrt er sich, denselben die Gesinnungen seiner ausgezeichneten Hochachtung auszusprechen.

(gez.) Carl August Card. von Reisach.

Die Uebersetzung anerkennt:

(gez.) Carl August Card. von Reisach.

Weisungen,

welche dem Herrn Erzbischof von Freiburg in der päpstlichen Instruction werden ertheilt werden, deren in der officiellen Note, wovon diese Beilage einen integrirenden Theil bildet, Erwähnung geschah.

Zu Art. I. Bezüglich der Breven, welche von Leo XII. an den Erzbischof und an das Capitel gerichtet wurden, wird man in der Instruction Folgendes erklären:

„Es ist des heiligen Stuhles Absicht, dass an den apostolischen Sendschreiben, welche in der Form von Breven von Leo XII. unter dem 21. und 28. Mai 1827 erlassen worden sind, in dem Sinne festgehalten werde, welchen die Worte geben."

Zu Art. II. Hinsichtlich des Eides, der auch vom Klerus zu leisten ist, wird man dem Erzbischofe eröffnen:

„Wenn die Grossherzogliche Regierung verlangt, dass die Geistlichen beim Eintritte in den Kirchendienst den Eid der Treue schwören, so kann diess der Erzbischof ohne alle Schwierigkeit zugeben, woferne nur die Eidesformel nichts in sich fasst, was den Gesetzen Gottes oder seiner heiligen Kirche widerspricht."

Zu Art. IV. In Betreff des Einganges dieses Artikels wird man dem Erzbischofe das Beifolgende aufgeben:

„dass derselbe bei der hirtenamtlichen Leitung und Verwaltung seiner Diöcese diejenigen Rechte, von welchen im ersten Absatze des Art. IV. und im Art. VI. der Convention die Rede ist, zum Heile der ihm anvertrauten Heerde so ausübe, dass er niemals solche Kirchengesetze neuerdings in's Leben rufe, welche wegen Verschiedenheit der zeitlichen und örtlichen Verhältnisse nach der gegenwärtig geltenden und vom apostolischen Stuhle gutgeheissenen Disciplin ausser Uebung gekommen oder durch die neu eingegangene Convention modificirt worden sind. Wenn derselbe bei Ausübung seines bischöflichen Amtes eine allgemeine Verordnung oder überhaupt eine Anordnung von höherer Bedeutung erlässt, so soll er gleichzeitig mit deren Veröffentlichung ein Exemplar derselben der Grossherzoglichen Regierung mittheilen. Soferne sich aber seine hirtenamtlichen Anordnungen nicht innerhalb des Kreises halten, in welchem die Kirchengewalt ausschliesslich zuständig ist, sondern sich auf Dinge erstrecken, welche im Gebiete der

Staatsgewalt liegen, so wird der Erzbischof sich vor deren Veröffentlichung mit der Grossherzoglichen Regierung in's Einvernehmen setzen."

Zu Nr. 1. desselben Artikels wird man dem Erzbischofe folgende Bemerkungen machen:

1. „Der Erzbischof wird kirchliche Pfründen niemals Ausländern und ebensowenig Solchen verleihen, die aus erheblichen und auf Thatsachen gestützten Gründen der Grossherzoglichen Regierung in rein bürgerlicher oder politischer Hinsicht missfällig sind. Um sich über letzteren Punkt zu verlässigen, wird der Erzbischof in jedem Falle der Erledigung einer Pfründe die Namen derjenigen, welche sich um dieselbe bewerben, in officiöser Weise der Grossherzoglichen Regierung mittheilen, damit die letztere innerhalb einer zu vereinbarenden kurzen, drei Wochen nicht übersteigenden, Frist ihre etwaigen Einwendungen geltend machen kann.
2. Der Erzbischof wird, so oft er Pfründen verleiht, zu der Zeit, zu welcher er die betreffenden Ernennungen ausspricht, hiervon der Grossherzoglichen Regierung zur Kenntnissnahme Mittheilung machen.
3. Wenn der Ezbischof einen ausländischen Geistlichen für einige Zeit als Vicar zur Ausübung der Seelsorge verwenden will, so wird er hievon die Grossherzogliche Regierung in Kenntniss setzen, und derselben zugleich die den bürgerlichen und politischen Stand des Geistlichen betreffenden Urkunden vorlegen lassen. Er wird den Letztern dann nicht verwenden, wenn die Grossherzogliche Regierung jene Urkunden nicht für genügend erachtet.
4. Geistlichen, welche von Privatpersonen präsentirt werden, wird der Erzbischof die canonische Einsetzung erst dann ertheilen, wenn er in Erfahrung gebracht hat, dass die Namen derselben von den Patronen der Grossherzoglichen Regierung kund gegeben worden, und dass die betreffenden Geistlichen nicht aus erheblichen und auf Thatsachen gestützten Gründen der Grossherzoglichen Regierung in rein bürgerlicher und politischer Hinsicht missfällig sind."

Bezüglich der Verfügung der Nr. 2 desselben Artikels wird man dem Erzbischofe Nachstehendes zu erkennen geben:

„Zum Generalvicar, zu ausserordentlichen Räthen und Assessoren des Ordinariats wird der Erzbischof nur solche Männer

ausersehen, von denen er weiss, dass sie der Grossherzoglichen Regierung in bürgerlicher und politischer Hinsicht nicht unangenehm sind. Ebenso wird er verfahren bei der Wahl der Vorsteher und der Lehrer des Seminars, des Directors, der Repetenten und des Oeconomen des theologischen Collegiums zu Freiburg, sowie der Männer, welche die der öconomischen Verwaltung dieses Collegiums vorgesetzte Commission bilden. Die Personen, welche der Erzbischof zu den gedachten Aemtern ernannt hat, wird er der Grossherzoglichen Regierung zur Kenntnissnahme anzeigen."

In Betreff der Nr. 3. des Art. IV. wird man den Erzbischof in folgendem Sinne verständigen:

„Da es von hoher Bedeutung ist, dass die Geistlichen nicht allein in den theologischen Wissenschaften, sondern auch in den humanistischen Studien und in der Philosophie gründliche Kenntnisse haben und wohlbewandert seien, so wird der Erzbischof veranlasst werden, dass er in dem nach Vorschrift des Concils von Trient zu errichtenden Seminar einen Studiengang vorschreibe und beobachten lasse, der der Ausbildung in den gedachten Studien und in der Philosophie entschieden förderlich ist, sowie dass er in der Regel Niemanden zum Studium der Theologie zulasse, der nicht den vorgeschriebenen Studiencurs in jenem Seminar oder in einer öffentlichen Gelehrtenschule des Grossherzogthums absolvirt hätte, oder der, woferne er im Auslande oder unter der Leitung von Privatlehrern den Studien obgelegen, im Wege einer mit ihm vorgenommenen Prüfung bewiesen hätte, dass er in den sämmtlichen fraglichen Wissenschaften die erforderlichen Kenntnisse besitze. In den Priesterstand soll der Erzbischof nur Solche aufnehmen, die die theologischen Studien nach Vorschrift vollendet haben. Es kann jedoch der Erzbischof eine Ausnahme von dieser Regel machen, wenn er diess wegen der besonderen Eigenschaften und Verhältnisse eines Candidaten oder wegen anderer besonderer Umstände für nothwendig erachtet.

Da es vom heil. Stuhle gestattet ist, dass der Erzbischof für Diejenigen, welche sich dem Pfarramte widmen wollen, eine allgemeine Concursprüfung in der Weise halte, welche ihm vom heiligen Stuhle mit Ertheilung besonderer Ermächtigungen und Weisungen vorgeschrieben werden wird, so hat der Erzbischof der Grossherzoglichen Regierung ein Verzeichniss Derjenigen vorlegen zu lassen, welche die gedachte Prüfung bestanden ha-

ben, damit die Grossherzogliche Regierung zum Behufe der Bezeichnung von Geistlichen für einzelne Pfründen ermessen kann, welche Geistliche in wissenschaftlicher Beziehung als besonders geeignet erscheinen. Wenn die Grossherzogliche Regierung zu vorgedachtem Behufe vom Erzbischofe begehrt, dass er ihr über einen bestimmten Geistlichen weitere Mittheilungen mache, so kann der Erzbischof diess thun, doch muss er hierbei die Vorsicht beachten, dass er, wenn durch Mittheilungen der fraglichen Art der Ruf des Geistlichen leiden könnte, nur im Allgemeinen erkläre, wegen ihm bekannter Gründe sei der Betreffende für die Pfründe, um die es sich handelt, minder geeignet."

Ueber die in Nr. 4 desselben Artikels enthaltene Verfügung wird man dem Erzbischofe bemerken, was folgt:

„Da es dem Erzbischofe freisteht, die heiligen Weihen auch auf den Tischtitel hin zu ertheilen, so kann er diesen Titel auf den Intercalarfond und auf die übrigen allgemeinen kirchlichen Fonds verleihen. Sollte er aber alle diese Fonds nicht für ausreichend halten, um die fragliche Last zu tragen, so wird er sich an die Grossherzogliche Regierung wenden, welche die Verbindlichkeit übernommen hat, den vom Erzbischofe bezeichneten Personen den Tischtitel zu ertheilen. In allen solchen Fällen wird er sowohl die Namen, als auch die Studienzeugnisse der Betreffenden der Grossherzoglichen Regierung vorlegen."

Die Nr. 5 desselben Artikels anlangend, wird man dem Erzbischofe Nachstehendes eröffnen:

„Wenn vom Erzbischofe vorgeschriebene kirchliche Feierlichkeiten ausserhalb der zur Gottesverehrung bestimmten Orte vorgenommen werden sollen, oder wenn bei kirchlichen Feierlichkeiten ein bedeutendes Zusammenströmen des Volkes zu erwarten ist, so wird derselbe hievon vorher rechtzeitig der Grossherzoglichen Regierung Anzeige machen, damit die letztere diejenigen Massregeln vorkehren könne, welche sie zur Bewahrung der Würde der fraglichen kirchlichen Feierlichkeit, sowie zur Aufrechthaltung der öffentlichen Ordnung für nöthig und dienlich erachtet. Bei Abhaltung von Missionen kann der Erzbischof auswärtige Weltgeistliche oder Religiosen verwenden; doch wird er die Namen Derjenigen, deren er sich zur Vornahme der fraglichen frommen Uebungen bedienen will, der Grossherzoglichen Regierung mittheilen."

Hinsichtlich der Verfügung der Nr. 6 wird man dem Erzbischof zu erkennen geben:

„Da die Grossherzogliche Regierung nicht verkannt hat, wie erspriesslich zur Beförderung des Seelenheils der Gläubigen das Bestehen religiöser Genossenschaften beiderlei Geschlechts in der Erzdiöcese wirken könne, und da die Grossherzogliche Regierung zugleich erklärt hat, sie werde nur beim Vorliegen erheblicher Gründe der Einrichtung solcher Genossenschaften entgegentreten, so soll der Erzbischof in dieser Sache officiös mit der Grossherzoglichen Regierung ins Benehmen treten, damit die Schwierigkeiten, die sich im einzelnen Falle bieten könnten, beseitigt werden, und Alles im gemeinsamen Einverständnisse so geordnet werde, dass die Einführung religiöser Genossenschaften in der Diöcese stattfinde und dieselben zum Heile der Seelen verwendet werden können."

Endlich die Nr. 7 anlangend wird man dem Erzbischofe eröffnen:

„Wenn der Erzbischof eine Diöcesan- und Provincialsynode abhalten will, so wird er vorher der Grossherzoglichen Regierung über Ort und Zeit der Abhaltung zur Kenntnissnahme Anzeige (ut hujus rei notitiam habeat) erstatten."

Zu Art. V. Hinsichtlich der Nr. 1 desselben wird man den Erzbischof in folgender Weise verständigen:

„Wenn der Erzbischof sein Gericht nach den Bestimmungen der Kirchengesetze und nach den ihm mitzutheilenden besonderen Vorschriften des heiligen Stuhles eingerichtet haben wird, so wird er über die Art und Weise, wie diess geschehen, die Grossherzogliche Regierung verlässigen, und wird derselben zugleich die Namen Derjenigen mittheilen, die er mit Ausübung seiner Gerichtsbarkeit beauftragt hat. Besondere Dienstweisungen, die er dem Gerichte geben wird, wird er in derselben Art, wie seine hirtenamtlichen Anordnungen, der Grossherzoglichen Regierung zur Kenntnissnahme (eum in finem, ut hujus rei notitiam habeat) mittheilen."

In Bezug auf die Nr. 2 desselben Artikels wird man dem Erzbischofe zur Auflage machen, was hier beigesetzt ist:

„Wenn gegen Geistliche die Strafe der Privation oder der Suspension vom Amte, oder die Strafe länger andauernder Haft in einer hierzu bestimmten Anstalt, oder grössere Geldbussen erkannt werden, so wird der Erzbischof von seiner Strafverfügung der Grossherzoglichen Regierung Mittheilung

machen. Wenn aber zur Vollziehung von Straferkenntnissen, die der kirchliche Richter ausgesprochen, die Mitwirkung der weltlichen Gewalt begehrt wird, so hat der Erzbischof der Grossherzoglichen Regierung auf deren Verlangen die angemessenen Aufklärungen zu geben."

Zu Art. VI. In Betreff der Verfügung dieses Artikels hat man die nöthige Bemerkung in der dem Erzbischofe hinsichtlich des Eingangs des Art. IV. gewordenen Eröffnung gemacht.

Zu Art. VII. wird man dem Erzbischof Folgendes eröffnen:

„Bei Anordnungen, welche die religiöse Unterweisung und Erziehung der katholischen Jugend in den öffentlichen Schulen betreffen, und insbesondere bei Bestimmung der Zeit und der Art und Weise, zu welcher und in welcher eine jede einzelne Handlung vorgenommen werden solle, hat der Erzbischof die Vorschriften zu berücksichtigen, die über Lehrgang und Disciplin für die fraglichen Schulen gegeben sind."

Zu Art. VIII. Man wird den Erzbischof in folgender Weise verständigen:

Die Statuten und Vorschriften, welche der Erzbischof bezüglich der häuslichen Disciplin für das Seminar und das theologische Collegium erlassen wird, wird er der Grossherzoglichen Regierung zur Kenntnissnahme mittheilen.

Uebrigens steht nichts im Wege, dass das bei Wiedererrichtung des genannten Collegiums provisorisch erlassene Statut auch ferner in Kraft bleibe.

Die Uebersetzung anerkennt:
(gez.) Carl August Card. von Reisach.

Vom Palast Santa-Croce 28. Juni 1859.

Nachträglich zu seiner officiellen Note vom heutigen Tage beeilt sich der unterzeichnete Cardinal, Bevollmächtigter Seiner Heiligkeit, den geehrten Herren Bevollmächtigten Seiner Königlichen Hoheit des Grossherzogs von Baden vertraulich zu eröffnen, dass ausser den Weisungen, welche in der gedachten Note erwähnt sind, dem Herrn Erzbischof von Freiburg auf die vom heiligen Stuhle für geeignet zu erachtende Art einige Bemerkungen in dem unten bezeichneten Sinne werden gemacht werden, nämlich:

1. dass, wenn es der Herr Erzbischof nach dem ihm im Art.

XI. der abgeschlossenen Convention zugesicherten Rechte für nöthig erachten sollte, einem Professor der Theologie an der Universität die canonische Mission wieder zu entziehen, er zu einer solchen Massregel nicht schreite, ohne sich vorher mit der Grossherzoglichen Regierung in's Benehmen zu setzen;

2. dass unter dem Namen der im Art. XII. §. 2 der oben genannten Convention erwähnten „Bevollmächtigten“ (Deputati) des Erzbischofs die gemischte Commission zu verstehen sei, welche nach Inhalt des Art. XVIII. im Namen des gedachten Erzbischofs Rechnungsablage von allen Verwaltern der Kirchengüter zu fordern hat;

3. dass kein Anstand dagegen bestehe, dass die gemischte Commission und das andere Collegium, welches sich mit den katholischen Schulen und der Verwaltung der sog. nicht-kirchlichen katholischen Güter beschäftigt, eine gemeinschaftliche Canzlei und Revision haben, wie sie auch in derselben Person ihren Präsidenten haben.

Nach dieser vertraulichen Mittheilung übersendet der Unterzeichnete, eingedenk des von den vorhin erwähnten Badischen Herren Bevollmächtigten hierwegen gestellten Begehrens, denselben in der Anlage eine Abschrift des an den Erzbischof von Freiburg über die gemischten Ehen in Briefesform erlassenen Breve des Papstes Gregor des XVI.*), und benützt zugleich mit Vergnügen den Anlass, ihnen die Gesinnungen seiner ausgezeichneten Hochachtung wiederholt aussprechen.

(gez.) Carl August Card. von Reisach.
Die Uebersetzung anerkennt:
(gez.) Carl August Card. von Reisach.

An die Herren
Freiherrn von Berckheim und
Dr. Franz Rosshirt,
Bevollmächtigte Sr. Königl. Hoheit
des Grossherzogs von Baden.

Eurer Hochwohlgeboren

beehre ich mich in der Anlage die Abschrift jenes Briefes mitzutheilen, welchen ich nach erfolgter Ratification der Conven-

*) Breve istud infra inter monumenta iuris matrimonialis reperies.

tion an den Herrn Erzbischof von Freiburg bezüglich der Ehesachen richten werde.

Mit der ausgezeichnetsten Hochachtung Euer Hochwohlgeboren
Palazzo St. Croce, ganz ergebenster Diener
20. Juni 1859.
Exc. Hr. Baron von Berkheim.
(gez.) C. A. Card. von Reisach.

Eure Erzbischöfliche Excellenz

werden aus den in dem Art. V. der zwischen dem heiligen Stuhle und der Grossherzoglichen Regierung abgeschlossenen Convention enthaltenen Bestimmungen über die geistliche Jurisdiction entnommen haben, dass der Kirche die ihr in dem dogmatischen Canon 12. der Sess. XIV. des Concils von Trient vindicirte ausschliessliche Gerichtsbarkeit in Ehesachen zugesprochen worden ist. Da nun, wie ich mich aus den Verhandlungen überzeugen konnte, die badische Gesetzgebung bezüglich der Gerichtsbarkeit in Ehestreitigkeiten mit den Principien und Gesetzen der Kirche im Widerspruch ist, so sehe ich voraus, dass wenn auch eine Abänderung der bestehenden Gesetzgebung nach Art. 23 der Convention in Aussicht steht, bis dieselbe bewerkstelligt ist, für Ew. Excellenz bei der Ausführung der im genannten Art. V. über die Ehesachen getroffenen Bestimmungen Zweifel und Schwierigkeiten entstehen können.

Das besondere Interesse, welches ich an Ihrer Person und Ihrer Erzdiöcese nehme, verpflichtet mich, Ihnen in dieser Sache meine persönlichen Ansichten mitzutheilen, und Sie in vertraulicher Weise aufzufordern, dass, wenn Sie auch die mit den kirchlichen Principien und Gesetzen in Widerspruch stehende weltliche Gesetzgebung und Gerichtsbarkeit nicht billigen und als für die Kirche bindend anzuerkennen vermögen, Sie bis zur Abänderung der geltenden staatlichen Ehegesetzgebung, um nicht bedauerliche Zerwürfnisse zwischen Staat und Kirche herbeizuführen, dahin wirken mögen, dass Collisionen soweit als immer möglich vermieden werden. Es wird diess Ew. Excellenz dadurch erleichtert werden, dass auch die Grossherzogliche Regierung, wie sie es bei den Verhandlungen ausgesprochen hat, die Versicherung giebt, dass sie ihrerseits zur Verhütung von Collisionen gleichfalls das Möglichste beitragen werde.

In gleich vertraulicher Weise möchte ich Ew. Excellenz ersuchen, dass Sie bezüglich der in Baden durch die Staatsgesetzgebung vorgeschriebenen Bedingungen zur Eheeingehung an dasjenige Sich halten mögen, was in der vom Cardinal Rauscher für die österreichischen geistlichen Gerichte verfassten Instruction §. 69 und §. 70 enthalten ist. Sie können diess, wie die österreichischen Bischöfe tuta conscientia thun, wenn gleich diese Instruction nicht vom heil. Stuhle ausgegangen ist, und daher auch keinen gesetzlichen Charakter an sich trägt.

Mit ausgezeichneter Verehrung geharre ich

Rom den . . . Juni 1859.

Euer Erzbischöflichen Excellenz
ganz ergebenster Diener
(gez.) C. A. Card. von Reisach.

Schlussnote.

Nachdem zur Ordnung der Angelegenheiten der katholischen Kirche im Grossherzogthum Baden unter dem heutigen Datum zwischen den Bevollmächtigten Seiner Königlichen Hoheit des Grossherzogs von Baden und dem Bevollmächtigten Seiner Heiligkeit des Papstes Pius IX. eine Vereinbarung abgeschlossen worden ist, haben die ergebenst unterzeichneten Bevollmächtigten Seiner Königlichen Hoheit des Grossherzogs von Baden im Namen der Grossherzoglichen Regierung bezüglich einiger Bestimmungen der gedachten Vereinbarung Seiner Eminenz dem Herrn Cardinal von Reisach Folgendes zu erklären die Ehre:

Die Grossherzogliche Regierung wird Denjenigen, welche der Erzbischof auf den Tischtitel zu weihen beabsichtigt, diesen Titel für den Fall der Unzulänglichkeit der allgemeinen kirchlichen Fonds auf solche Fonds ertheilen, die ihr zur Verfügung stehen.

Dans les chapitres collégiaux, l'une de ces clefs sera entre les mains du doyen, la seconde entre les mains du premier officier, et la troisième entre les mains du trésorier.

55. Seront déposés dans cette caisse les papiers, titres et documens, les comptes, les registres, les sommiers et les inventaires, le tout ainsi qu'il est statué par l'article 54 du réglement des fabriques; et ils ne pourront en être retirés que sur un avis motivé, signé par les trois dépositaires des clefs, et au surplus conformément à l'article 57 du même réglement.

56. Il sera procédé aux inventaires des titres et papiers, à leurs récolemens et à la formation d'un registre-sommier conformément aux articles 55 et 56 du même réglement.

57. Les maisons et biens ruraux, appartenant aux chapitres, ne pourront être loués ou affermés que par adjudication aux enchères sur un cahier des charges, approuvé par délibération du chapitre, à moins que le chapitre n'ait, à la pluralité des quatre cinquièmes des chanoines existans, autorisé le trésorier à traiter de gré a gré, aux conditions exprimées dans sa délibération. Une semblable autorisation sera nécessaire pour les

baux excédant neuf ans, qui devront toujours être adjugés avec les formalités prescrites par l'article 9 ci-dessus.

58. Les dépenses des réparations seront toujours faites sur les revenus de la mense capitulaire; et s'il arrivait de cas extraordinaires qui exigeassent à-la fois plus de la moitié d'une année du revenu commun, les chapitres pourront être par nous autorisés, en la forme accoutumée, à faire un emprunt remboursable sur les revenus aux termes indiqués, sinon à vendre la quantité nécessaire de biens, à la charge de former avec des réserves sur les revenus des années suivantes un capital suffisant pour remplacer, soit en fonds de terre, soit autrement, le revenu aliéné.

59. Il sera rendu par le trésorier, chaque année au mois de janvier, devant des commissaires nommés à cet effet par le chapitre, un compte de recette et dépense.

Ce compte sera dressé conformément aux article 82, 83 et 84 du réglement des fabriques. Il en sera adressé une copie au ministre des cultes.

60. Les chapitres pourront fixer le nombre et les époques des répartitions de la mense, et suppléer par leurs délibérations aux cas non prévus par le présent décret, pourvu qu'ils n'excèdent pas les droits dépendans de la qualité du titulaire.

61. Dans tous les cas énoncés au présent titre, les délibérations du chapitre devront être approuvées par l'évêque; et l'évêque ne jugeant pas à propos de les approuver, si le chapitre insiste, il en sera référé à notre ministre des cultes, qui prononcera.

Titre IV.
Des biens des séminaires.

Art. 62. Il sera formé, pour l'administration des biens du séminaire de chaque diocèse, un bureau composé de l'un des vicaires-généraux, qui présidera en l'absence de l'évêque, du directeur et de l'économe du séminaire, et d'un quatrième membre remplissant les fonctions de trésorier, qui sera nommé par le ministre des cultes, sur l'avis de l'évêque et du préfet.

Il n'y aura aucune rétribution attachée aux fonctions du trésorier.

63. Le sécretaire de l'archevêché ou évêché sera en même temps secrétaire de ce bureau.

64. Le bureau d'administration du séminaire principal aura

en même temps l'administration des autres écoles ecclésiastiques du diocèse.

65. Il y aura aussi, pour le depôt des titres, papiers et renseignemens, des comptes, des registres, des sommiers, des inventaires, conformément à l'article 54 du réglement des fabriques, une caisse ou armoire à trois clefs, qui seront entre les mains de trois membres du bureau.

66. Ce qui aura été ainsi déposé, ne pourra être retiré que sur l'avis motivé des trois dépositaires des clefs, et approuvé par l'archevêque ou évêque: l'avis ainsi approuvé restera dans le même depôt.

67. Tout notaire devant lequel il aura été passé un acte contenant donation entre vifs ou disposition testamentaire au profit d'un séminaire ou d'une école secondaire ecclésiastique, sera tenu d'en instruire l'évêque, qui devra envoyer les pièces, avec son avis, à notre ministre des cultes, afin que, s'il y a lieu, l'autorisation pour l'acceptation soit donnée en la forme accoutumée.

Les dons et legs ne seront assujettis qu'au droit fixe d'un franc.

68. Les remboursemens et les placemens des deniers provenant des dons ou legs aux séminaires ou aux écoles secondaires, seront faits conformément aux décrets et décisions ci-dessus cités.

69. Les maisons et biens ruraux des séminaires et des écoles secondaires ecclésiastiques ne pourront être loués ou affermés que par adjudication aux enchères, à moins que l'archevêque ou évêque et les membres du bureau ne soient d'avis de traiter de gré à gré, aux conditions dont le projet signé d'eux sera remis au trésorier et ensuite déposé dans la caisse a trois clefs. Il en sera fait mention dans l'acte.

Pour les baux excédant neuf ans, les formalités prescrites par l'article 9 ci-dessus devront être remplies.

70. Nul procès ne pourra être intenté, soit en demandant, soit en défendant, sans l'autorisation du conseil de préfecture, sur la proposition de l'archevêque ou évêque, après avoir pris l'avis du bureau d'administration.

71. L'économe sera chargé de toutes les dépenses: celles qui seraient extraordinaires ou imprévues devront être autorisées par l'archevêque ou évêque, après avoir pris l'avis du bureau: cette autorisation sera annexée au compte.

72. Il sera toujours pourvu aux besoins du séminaire prin-

cipal, de préférence aux autres écoles ecclésiastiques, à moins qu'il n'y ait, soit par l'institution de ces écoles secondaires, soit par des dons ou legs postérieurs, des revenus qui leur auraient été specialement affectés.

73. Tous deniers destinés aux dépenses des séminaires, et provenant soit des revenus des bien-fonds ou de rentes, soit de remboursemens, soit des secours du Gouvernement, soit des libéralités des fidèles, et en général quelle que soit leur origine, seront, à raison de leur destination pour un service public, versés dans une caisse à trois clefs, établie dans un lieu sûr au séminaire: une de ces clefs sera entre les mains de l'évêque ou de son vicaire-général, l'autre entre celles du directeur du séminaire, et la troisième dans celle du trésorier.

74. Ce versement sera fait le premier jour de chaque mois par le trésorier, suivant un état ou borderau qui comprendra la recette du mois précédent, avec indication d'où provient chaque somme; sans néanmoins qu'à l'égard de celles qui auront été données, il soit besoin d'y mettre les noms des donateurs.

75. Le trésorier ne pourra faire, même sous prétexte de dépense urgente, aucun versement que dans ladite caisse à trois clefs.

76. Quiconque aurait reçu pour le séminaire une somme qu'il n'aurait pas versée dans les trois mois entre les mains du trésorier, et le trésorier lui même qui n'aurait pas, dans le mois, fait les versemens à la caisse à trois clefs, seront poursuivis conformément aux lois concernant le recouvrement des deniers publics.

77. La caisse acquittera, le premier jour de chaque mois, les mandats de la dépense à faire dans le courant du mois, lesdits mandats signés par l'économe et visés par l'évêque: en tête de ces mandats, seront les bordereaux indiquant sommairement les objets de la dépense.

78. La commission administrative du séminaire transmettra au préfet, au commencement de chaque semestre, les bordereaux de versement par les économes, et les mandats des sommes payées. Le préfet en donnera décharge, et en adressera les duplicata au ministre des cultes avec ses observations.

79. Le trésorier et l'économe de chaque séminaire rendront, au mois de janvier, leurs comptes en recette et en dépense, sans être tenus de nommer les élèves qui auraient eu part aux deniers affectés aux aumônes: l'approbation donnée

par l'évêque à ces sortes de dépenses, leur tiendra lieu de pièces justificatives.

80. Les comptes seront visés par l'évêque, qui les transmettra au ministre des cultes; et si aucun motif ne s'oppose à l'approbation, le ministre les renverra à l'évêque, qui les arrêtera définitivement et en donnera décharge.

Dispositions transitoires.

Art. 81. Les titres, les registres ou sommiers concernant plusieurs cures d'un dioeèse, seront deposés au sécretariat de l'archevêché ou évêché de ce diocèse, pour y avoir recours et en être délivré les extraits ou expéditions dont les titulaires auraient besoin.

82. Les registres, titres et documens concernant l'administration générale des économats, seront déposés à nos archives impériales, sauf à en délivrer des expéditions aux établissemens qui s'y trouveraient intéressés.

83. Notre grand-juge ministre de la justice, et nos ministres des cultes, de l'intérieur, des finances et du trésor impérial, sont chargés, chacun en ce qui le concerne, de l'exécution du présent décret, qui sera inséré au bulletin des lois.

LXXXVIII. Gesetz vom 14. März 1845, betreffend die Verpflichtung zur Aufbringung der Kosten für die kirchlichen Bedürfnisse der Pfarrgemeinden in den Landestheilen des linken Rheinufers.

Wir Friedrich Wilhelm, von Gottes Gnaden, König von Preussen etc. etc. verordnen über die Verpflichtung zur Aufbringung der Kosten für die kirchlichen Bedürfnisse der Pfarrgemeinden in den Landestheilen des linken Rheinufers auf den Antrag Unseres Staatsministeriums, nach Anhörung Unserer getreuen Stände der Rheinprovinz und nach vernommenem Gutachten Unseres Staatsraths, was folgt:

§. 1. Zuschüsse zu den Kosten für ordentliche (jährlich wiederkehrende), so wie für ausserordentliche kirchliche Bedürfnisse einer Pfarrgemeinde, welche bei Verkündigung dieses Gesetzes bereits auf dem Haushaltsetat der Civilgemeinde stehen, sind von dieser, nach Maassgabe des Beschlusses, auf dem sie beruhen, auch künftig zu gewähren, sofern sie nicht durch veränderte Umstände entbehrlich werden. Ist ein Zu-

schuss auf mehrere Jahre vertheilt, so müssen auch die Beiträge für die auf die Verkündigung dieser Verordnung folgenden Jahre gewährt werden.

§. 2. Kosten für ordentliche kirchliche Bedürfnisse einer Pfarrgemeinde, welche weder aus dem Kirchenvermögen noch aus den nach §. 4. von der Civilgemeinde zu leistenden Zuschüssen bestritten werden können, sind von denjenigen Einwohnern und Grundbesitzern des Pfarrbezirks aufzubringen, welche zur Konfession der betreffenden Pfarrgemeinde gehören.

§. 3. Kosten für ausserordentliche kirchliche Bedürfnisse einer Pfarrgemeinde sind, sofern sie weder aus dem Kirchenvermögen, noch aus den nach §. 1. von der Civilgemeinde zu leistenden Zuschüssen bestritten werden können, von den Civilgemeinden in dem Maasse herzugeben, als dieselbe, nach Abrechnung ihrer Kapitalschulden, noch Gemeindevermögen besitzt. Die zu öffentlichen Gemeindezwecken bestimmten Grundstücke sind hierbei nicht zur Berechnung zu ziehen.

Diese Verpflichtung der Civilgemeinden tritt auch dann ein, wenn eine solche Verwendung des Gemeindevermögens erhöhte oder neue Umlagen in der Civilgemeinde nöthig machen sollte.

§. 4. In welcher Art die Mittel zur Erfüllung der im §. 3. vorgeschriebenen Verpflichtung der Civilgemeinde zu beschaffen sind, hat, auf den Vorschlag der Gemeinde, die Regierung festzusetzen. Die Beschaffung dieser Mittel ist in der Regel durch Verwendung entbehrlicher Geldbestände oder ausstehender Kapitalien, oder durch ausserordentliche Nutzungen des Gemeindevermögens, oder durch Aufnahme eines aus demselben zu verzinsenden und zu amortisirenden Darlehns zu bewirken. Die Veräusserung von Gemeindegrundstücken kann ausnahmsweise gestattet werden, wenn sie von der Gemeinde beantragt wird und aus besonderen Gründen für angemessen zu erachten ist.

§. 5. Gehören zu einer Civilgemeinde Eingepfarrte verschiedener Konfession, so soll, wenn die Civilgemeinde nach Vorschrift des §. 3. Beiträge zu einem ausserordentlichen kirchlichen Bedürfniss der einen Konfession zu leisten hat, gleichzeitig für die Eingepfarrten der andern Konfession ein nach dem Verhältniss der Seelenzahl zu berechnender Betrag festgestellt und wenn in der Folge für sie gleichfalls ein ausserordentliches kirchliches Bedürfniss (§. 3) eintritt, zu dessen Be-

friedigung verwendet werden. Bis dies geschieht, bildet dieser Betrag eine auf dem Gemeindevermögen haftende unverzinsliche Schuld.

§. 6. Kann die Befriedigung eines ausserordentlichen kirchlichen Bedürfnisses weder ganz noch theilweise auf die in den §§. 3. bis 5. vorgeschriebene Art erfolgen, so sind die erforderlichen Mittel nach der Bestimmung des §. 2. aufzubringen.

§. 7. Alle allgemeinen und besonderen Vorschriften über die Verpflichtung, die Kosten für die kirchlichen Bedürfnisse der Pfarrgemeinden in Ermangelung eines dazu ausreichenden Kirchenvermögens aufzubringen, werden, in soweit sie den vorstehenden Bestimmungen zuwiderlaufen, ausser Kraft gesetzt.

Urkundlich unter Unserer Höchsteigenhändigen Unterschrift und beigedrucktem Königlichen Insiegel.

Gegeben Berlin, den 14. März 1845.

(L. S.) Friedrich Wilhelm.

E) Cultus publicus.

LXXXIX. Pii IX. encyclica die 3. maji 1858 emissa de applicatione sacrificii missae in diebus festis.

Venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, aliisque locorum ordinariis gratiam et communionem cum apostolica sede habentibus.

Pius Papa IX. Venerabiles Fratres

Salutem et apostolicam benedictionem.

Amantissimi Redemptoris Nostri Christi Jesu Unigeniti Filii Dei tanta fuit erga homines benignitas et caritas, ut, veluti optime nostis, Venerabiles Fratres, humana indutus natura non solum saevissimos pro nostra salute cruciatus atrocissimamque crucis mortem perpeti, verum etiam in augustissimo sui corporis sanguinisque sacramento nobiscum semper morari, ac nos peramanter pascere et nutrire voluerit, quo ipse in coelum rediens ad dexteram Patris nos et sui numinis praesentia, et tutissimo spiritualis vitae praesidio communiret. Neque contentus nos tam insigni ac plane divina dilexisse caritate, beneficia beneficiis

cumulans, suique in nos amoris divitias profundens effecit, ut probe intelligeremus, quod cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Namque se aeternum Sacerdotem esse declarans secundum ordinem Melchisedech, suum in Catholica Ecclesia Sacerdotium perpetuo instituit, et illud idem Sacrificium, quod ipse ad universum humanum genus a peccati jugo ac daemonis captivitate vindicandum et redimendum in ara crucis, pretiosissimo suo sanguine effuso, semel peregit, pacificans sive quae in coelis sunt, sive quae in terra, usque ad consummationem saeculi permanere decrevit, et quotidie fieri, ac renovari jussit per Sacerdotum ministerium, sola offerendi ratione diversa, ut salutares uberrimique suae passionis fructus in homines semper redundarent. Si quidem incruento Missae sacrificio, quod conspicuo Sacerdotum ministerio peragitur, illa ipsa vivifica litatur victima, quae Deo Patri nos reconciliavit, quaeque omnem merendi, placandi, impetrandi ac satisfaciendi vim habens illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur [1]). „Atque haec est munda illa oblatio, quam nulla offerentium indignitas ac malitia inquinare unquam potest, et quam Dominus per Malachiam nomine suo, quod magnum futurum esset in gentibus, a solis ortu usque ad occasum in omni loco mundam offerendam esse praedixit [2]). Quae quidem oblatio ineffabili prorsus fructuum ubertate redundans praesentem aeque ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus gratiam donumque poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, ac licet peccatis nostris graviter offensus ab ira ad misericordiam, a iustae animadversionis severitate ad clementiam traducitur; ea temporalium poenarum reatus et obligatio dissolvitur; ea defunctorum in Christo animae nondum ad plenum purgatae sublevantur; ea obtinentur quoque temporalia bona, si tamen potioribus non officiant; ea Sanctis, et in primis Immaculatae Sanctissimaeque Dei Genitrici Virgini Mariae eximius quidam honor, cultusque conciliatur. Quocirca ex Apostolorum traditione divinum Missae sacrificium offerimus“ pro communi Ecclesiarum pace, pro recta

1) S. Gregor. M. Dialog. lib. 4. cap. 58.
2) Malach. cap. 1.

mundi compositione, pro imperatoribus, militibus, sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus qui opis indiget, et pro defunctis in purgatorio degentibus, maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima [3]).

Cum igitur nihil sit majus, nihil salutarius, nihil sanctius, nihil divinius incruento Missae sacrificio, quo idem corpus, idem sanguis, idem Deus et Dominus Noster Jesus-Christus Deo pro omnium salute in altari per Sacerdotes offertur et immolatur, iccirco Sancta mater Ecclesia tanto divini sui Sponsi ditata thesauro nunquam destitit omnem curam, operam, diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a Sacerdotibus, quanta maxima fieri posset, interiore cordis munditia ac puritate perageretur, debitoque sacrarum caeremoniarum, ac rituum apparatu, cultuque celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et majestas vel externa quoque specie magis eluceat, et fideles ad rerum divinarum, quae in tam admirabili ac venerando Sacrificio occultae continentur, contemplationem excitentur. Ac pari sollicitudine studioque ipsa pientissima Mater nunquam cessavit suos fideles filios commonere, hortari, et inflammare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione ac devotione ad hoc divinum Sacrificium frequentissime convenirent, praecipiens, ut eidem omnibus de praecepto festis diebus ipsi interesse omnino deberent, animis ad illud oculisque religiosissime intenti, quo divinam exinde misericordiam, omniumque bonorum copiam sibi felicissime comparare possent.

Jam vero cum omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, tum pro egregia vestra sapientia apprime cognoscitis, Venerabiles Fratres, sacrosanctum Missae sacrificium ab animarum pastoribus esse applicandum pro populo eorum curae commisso, et hujusmodi obligationem ex Divino praecepto descendere juxta Concilii Tridentini doctrinam, cum idem Concilium disertissimis gravissimisque verbis edoceat „praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, et pro his sacrificium offerre“ [4]). Notissimae quoque Vobis sunt felicis recordationis Be-

3) S. Cyril. Hierosol. Cateches. 23 Mystag. 5 de sacra Liturg.

4) Conc. Trid. Sess. 23. cap. 1. De Reformat.

nedicti XIV Decessoris Nostri Litterae die 19. Augusti anni 1744 datae, quibus de hac obligatione copiose, sapienterque loquens, ac Tridentinorum Patrum mentem uberius explicans et confirmans, ad omnes controversias, quaestiones dubitationesque amovendas, clare aperteque declaravit et constituit, parochos, aliosque omnes animarum curam actu habentes debere Missae sacrificium pro populo sibi concredito peragere omnibus Dominicis aliisque de praecepto festis diebus, et illis etiam, quibus ipse in nonnullis Dioecesibus dierum de praecepto festorum numerum imminuens permiserat populis in servilia opera incumbere, sed caverat tamen, ut ipsi populi obligationi de Sacro audiendo satisfacere deberent[5]. Non mediocri certe jucunditate perfundimur, Venerabiles Fratres, cum ex relationibus, quas de vestrarum Dioecesium statu cum summa vestri nominis laude, ac pari animi Nostri gaudio ad Nos, et hanc Apostolicam Sedem, veluti officii vestri ratio postulat, mittendas curatis, agnoscamus, animarum curatores hujusmodi sui muneris obligationem diligenter implere Dominicis et aliis, qui adhuc ex praecepto servantur, diebus, Missae sacrificium pro populo sibi tradito celebrare haud omittunt. Sed minime ignoramus, pluribus in locis id a parochis jamdiu praetermitti solere aliis diebus, qui antea veluti festi de praecepto erant colendi juxta Constitutionem felicis memoriae Urbani VIII Deeessoris pariter Nostri[6] et quibus haec Apostolica Sedes annuens variis Sacrorum Antistitum postulationibus, ac prae oculis habens causas, rationesque ab ipsis expositas, dum imminuit festos de praecepto dies, non solum permisit, ut populi servilibus operibus vacare possent, verum etiam indulsit, ut ipsi ab obligatione audiendi Sacrum essent exempti. Ubi enim haec benigna Sanctae Sedis Indulta in lucem prodierunt, statim plurium regionum parochi existimantes, se hisce diebus ita reductis solutos esse ab obligatione peragendi Sacrum pro populo, obligationem ipsam implere plane neglexerunt. Hinc porro invaluit consuetudo, ut earundem regionum Parochi commemoratis diebus sacrosanctum Missae sacrificium pro populo applicare cessaverint, nec defuere, qui ejusmodi consuetudinem tueri ac defendere non dubitarunt.

Nos igitur de spirituali universi Domini gregis Nobis divinitus commissi bono vel maxime solliciti, ac non parum dolen-

---

5) Bened. XIV. Litt. Encycl. „Cum semper oblatus.“ Die 19. Aug. 1744.
6) Urban. VIII. Constit. „Universa per orbem“ Ibid. Septbr. 1642.

tes, ex hujusmodi praetermissione fideles illorum locorum populos maximis spiritualibus fructibus privari, tanti momenti negotio occurrere statuimus, cum praesertim noscamus, hanc Apostolicam Sedem docuisse, parochos diebus festis etiam reductis debere Sacrum pro populo celebrare. Et sane quamvis Romani Pontifices Decessores Nostri enixis Sacrorum Antistitum petitionibus ac variis pluribusque fidelium populorum ac locorum rationibus permoti festos de praecepto dies imminuendos censuerint, ac simul benigne concesserint, ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin Sacrum audire deberent, tamen iidem Praecessores Nostri in hisce Indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt, ut scilicet praedictis diebus nihil in Ecclesiis unquam innovaretur, quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragerentur quo antea peragi solebant, cum enunciata Urbani VIII Constitutio plene vigeret, qua festi de praecepto dies servandi fuerant praescripti. Ex quo parochi facile intelligere poterant, se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo Missam, quae potissima ritus pars est, animo praesertim reputantes Pontificia Rescripta eo plane, quem prae se ferunt, sensu esse omnino accipienda, et illa strictissimae esse interpretationis. Accedit etiam ut haec Sancta Sedes in plurimis peculiaribus casibus de huiusmodi parochorum onere consulta haud omiserit per suas praesertim Congregationes sive Concilii, sive Fidei propagandae, sive sacrorum Rituum, sive etiam per Sacram Poenitentiariam saepissime respondere et edicere, parochos eidem oneri esse obnoxios applicandi pro populo Missam illis etiam diebus, qui de festorum ex praecepto dierum numero fuerant sublati.

Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, atque in consilium adhibitis nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris. S. R. E. Cardinalibus Nostrae Congregationis Tridentinis Decretis tuendis, interpretandisque praepositae, hanc Vobis, Venerabiles Fratres, Encyclicam Epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemque constituamus ab omnibus parochis sedulo, diligenterque observandam. Quamobrem hisce Litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos, aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare, et applicare debere tum omnibus dominicis, aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex hujus Apostolicae

Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debeant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur, et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem Missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

Nunc vero paterni animi Nostri caritate illorum parochorum tranquillitati prospicere volentes, qui ob assertam consuetudinem memoratis diebus Missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos ob omnibus quibusque praeteritis omissionibus Auctoritate Nostra Apostolica plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, Indultum ab hac Apostolica Sede obtinuere, concedimus, ut ipsi hujusce Indulti beneficio perfrui pergant juxta tamen conditiones in Indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in paroeciis, quas in praesentiarum regunt et administrant.

Dum autem haec statuimus, et indulgemus, in eam profecto spem erigimur fore, Venerabiles Fratres, ut parochi majore usque animarum studio et amore incensi huic obligationi applicandi Missam pro populo diligentissime ac religiossime satisfacere glorientur, serio considerantes uberrimam coelestium praesertim munerum, ac bonorum copiam, quae ex hac incruenti, divinique Sacrificii applicatione in christianam plebem eorum curae commissam abunde redundat. Cum vero Nos minime lateat, peculiares casus contingere posse, in quibus pro re ac tempore aliqua hujus obligationis remissio parochis sit tribuenda, sciatis velimus, ab omnibus Nostram Concilii Congregationem unice adeundam ad hujusmodi obtinenda indulta, illis dumtaxat exceptis, qui a Nostra Congregatione fidei propagandae praeposita pendent, cum opportunas utrique Congregationi contulerimus facultates.

Nihil plane dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra episcopali sollicitudine omnibus et singulis vestrarum Dioecesium parochis, nulla interposita mora, sedulo manifestare velitis, quae in hisce Nostris Litteris de eorum obligatione applicandi pro populo sibi commisso sacrosanctum Missae sacrifi-

cium suprema Nostra auctoritate confirmamus, ac denuo constituimus, volumus, praecipimus et mandamus. Ac persuasissimum quoque Nobis est, Vos maximam adhibituros esse vigilantiam, ut animarum curatores hanc etiam sui muneris partem diligenter impleant, ac studiose observent, quae a Nobis in hisce Litteris statuta atque sancita sunt. Optamus autem ut harum Litterarum exemplar in Tabulario episcopalis cujusque vestrum Curiae perpetuo asservetur.

Cum autem, Venerabiles Fratres, probe noscatis, sacrosancto Missae sacrificio magnam fidelis populi contineri eruditionem, ne intermittatis unquam parochos praesertim, aliosque divini verbi praecones, et eos quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monere, hortari, ut fidelibus populis tam sancti tamque admirabilis Sacrificii necessitatem, praestantiam, magnitudinem, finem, fructus studiosissime et accuratissime exponant, explicent, ac simul fideles ipsos excitent, inflamment, quo eidem Sacrificio ea, qua par est, fide, religione ac pietate frequentissime intersint, ut divinam misericordiam, et omne, quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant. Neque desinatis omnem operam et industriam impendere, ut vestrarum Dioecesium Sacerdotes ea morum integritate, gravitate, eaque totius vitae innocentia, sanctitate emineant, quae illos omnino decet, quibus unis datum est divinam consecrare Hostiam, ac tam sanctum, tamque tremendum perficere Sacrificium. Quocirca omnes sanctissimo Sacerdotio initiatos etiam atque etiam monete, urgete, ut serio meditantes ministerium, quod acceperunt in Domino, illud impleant, et continenter memores dignitatis, ac coelestis potestatis, qua praediti sunt, virtutum omnium splendore, ac salutaris doctrinae laude refulgeant, summaque animi contentione in divinum cultum divinasque res et animarum salutem incumbant, ac seipos hostiam vivam et sanctam Domino exhibentes, ut mortificationem Jesu in suo corpore semper cicumferentes puris manibus, et mundo corde placationis Hostiam rite offerant Deo pro sua ac totius mundi salute.

Denique nihil Nobis gratius, Venerabiles Fratres, quam hac etiam uti occasione, ut iterum testemur, et confirmemus praecipuam, qua Vos omnes in Domino prosequimur, benevolentiam, ac simul Vobis addamus animos, ut majore usque alacritate pergatis omnes gravissimi pastoralis vestri muneris partes strenue ac sedulo obire, et intentissimo studio dilectarum ovium saluti incolumitatique consulere.

Pro certo habete, Nos paratissimos esse ad ea omnia libentissime agenda, quae ad majorem Vestram ac Dioecesium vestrarum utilitatem procurandam conducere posse noverimus. Interim vero coelestium munerum auspicem, ac studiosissimae Nostrae in Vos voluntatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu Vobis ipsis Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus cujusque vestrum vigilantiae commissis amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die III. Maii Anno MDCCCLVIII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

F) Ius matrimoniale.

XC. Benedicti XIV. constitutio III non. novembris 1741 data de ordine iudiciorum in causis matrimonialibus.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Dei miseratione, cujus judicia incomprehensibilia sunt, et viae investigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum Pastoralis officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia, et hominum malitia, abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et Sacramentis Ecclesiae injuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda Divinae Legis servetur auctoritas.

§. 1. Siquidem Matrimonii foedus a Deo institutum, quod, et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio, aliisque Matrimonii bonis servandis, perpetuum, et indissolubile esse convenit; et quatenus est Catholicae Ecclesiae Sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronunciavit, dicens: Quod Deus conjunxit, homo non separet: ad aures Apostolatus nostri pervenit, in quibusdam Ecclesiasticis Curiis inconsulta nimis Judicum facilitate infringi, et temere, atque inconsiderate de eorumdem Matrimo-

niorum nullitate latis sententiis, potestatem Conjugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos Judices humanae naturae conditione, et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia Sanctum Matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum, atque indissolubilem primus humani generis Parens praemonuit, inquiens: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: Et illud additum est: Quamobrem relinquet homo Patrem suum, et Matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.

§. 2. Hujusmodi autem abolendae pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum Virorum, qui post primam, et secundam, ac tertiam, quam duxerant, uxorem, ob nimiam Judicum praecipitantiam in nullitate Matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; et similiter foeminarum, quae post primum, secundum, et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se junxerant, non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra Matrimonii vincula ita contemni, et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemuimus, et non praetermisimus Apostolicae nostrae solicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostri Anno ad Episcopos illarum Partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis literis, graviter conquesti sumus de hujusmodi pravitate, quae in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere, et pastoralem zelum accendere curavimus, quod etiam egimus cum aliis aliarum Regionum Episcopis, ubi hujusmodi pravum dirimendorum Matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

§. 3. Verum Nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum Judicum, quibus, vel in prima instantia, cum Causa coram Judice Ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest Judex, ad cujus Tribunal Causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, justa de causa coram eo disceptari nequit, Causae Matrimoniales hujusmodi a Sede Apostolica committuntur; qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem, proclives sunt ad Matrimonia dissolvenda, atque eadem Matrimonia, levi, vel etiam nullo habito examine, irrita, ac invalida declarant: partim etiam ex facto Conjugum super nullitate suorum Matrimoniorum litigantium; cum frequenter unus tantum eorum, qui

dissolutionem Matrimonii postulat, in judicio compareat, et Sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus Conjugibus in Judicium venientibus, altero, qui pro Matrimonio, altero vero, qui contra agit, Sententia de nullitate Matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem Judicem appellationem interponat; vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt et invicem colludentes, contractum matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia Pars, quae pro validitate Matrimonii stabat, ejusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a Judice Sententia contra Matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et incoeptum opus, ac Causam post primam Sententiam deserit: Quo fit, ut deinde ambo Conjuges, vel unus eorum, ad aliud contrahendum Matrimonium se conferat.

§. 4. Quod autem ad Judices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro Litigantium commodo causae Matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de justitia unicuique integre sapienterque administranda soliciti esse debemus, encyclicis Literis ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos scriptis vicesima sexta Augusti anno secundo Pontificatus Nostri, providere curavimus, in quibus ea praescripsimus, quae Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum Causae non nisi personis congrua juris peritia, et necessario probitatis, spectataeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis literis constituta sunt, id etiam in praesenti adjungimus: Quod, quamvis Concilii Tridentini Decretum, quo causae Matrimoniales subtractae fuerunt Decani, Archidiaconi, et aliorum inferiorum judicio, et Episcoporum tantum examini, et jurisdictioni reservatae, duntaxat procedat de Archidiaconis, Decanis aliisque inferioribus, qui in eadem Dioecesi constituti, vel privilegio aliquo, vel praescriptione, saltem in visitatione, Causarum Matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; ac idcirco minime obstet commissionibus, quae, pro iisdem causis matrimonialibus definiendis, a Sede Apostolica aliqui eorum in secunda instantia fierent: nihilominus praecipimus, ac mandamus iis, ad quos, hujusmodi Commissionum, seu Delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant

nisi Episcopis, praesertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio, et delegatio dirigatur uni ex iis, qui, secundum ordinem, et modum a Nobis in praefatis encyclicis Literis praescriptum, pro Judice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

§. 5. Quod vero ad ordinem, et seriem judiciorum in causis matrimonialibus pro debita, et congrua earum terminatione, servandum spectat; motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus, ac jubemus, ut ab omnibus, et singulis Locorum Ordinariis in suis respective Dioecesibus persona aliqua idoneà eligatur, et si fieri potest, ex Ecclesiastico coetu, juris scientia, pariter et vitae probitate praedita, quae Matrimoniorum Defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si justa causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam, et iisdem qualitatibus ornatam; quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad Matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

§. 6. Ad officium autem Defensoris Matrimoniorum hujusmodi, ut supra electi, spectabit, in judicium venire, quotiescumque contigerit, matrimoniales causas super validitate, vel nullitate coram legitimo Judice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu judiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis Matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad Matrimonium sustinendum necessaria censebit.

§. 7. Et demum Defensoris hujusmodi persona, tanquam Pars necessaria, ad judicii validitatem, et integritatem censeatur, semperque adsit in Judicio sive unus ex Conjugibus, qui pro nullitate Matrimonii, agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in judicium veniant. Defensor autem, cum ei munus hujusmodi committetur, juramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in judicio adesse debeat pro alicujus Matrimonii validitate tuenda, rursus idem juramentum praebebit: quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in judicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perinde, ac si citata, et intimata non esset ea Pars, cujus citari intererat, et quam, juxta legum, et

canonum praescripta, ad legitimam judicii validitatem, citari, aut intimari omnino necessarium erat.

§. 8. Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas hujusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de Matrimonii validitate dubitabitur, et existentibus in judicio, vel uno ex Conjugibus, qui pro nullitate Matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, Defensor Matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a Judice pro Matrimonii validitate judicabitur, et nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat; idque etiam servetur, si a Judice secundae instantiae pro validitate Matrimonii fuerit judicatum, postquam Judex primae instantiae de illius nullitate Sententiam pronunciaverat; sin autem contra Matrimonii validitatem Sententia feratur, Defensor inter legitima tempora appellabit adhaerens Parti, quae pro validitate agebat; cum autem in judicio nemo unus sit, qui pro Matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum Sententia, judicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem Judicem provocabit.

§. 9. Appellatione a prima Sententia pendente, vel etiam nulla, ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem Defensoris, et Partium, interposita, si ambo, vel unus ex Conjugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus, ac decernimus, ut non solum serventur, quae adversus eos, qui Matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statuta sunt, praesertim, ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera Sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; Sed ulterius ut contrahens, vel contrahentes Matrimonium hujusmodi, omnibus poenis contra Poligamos a Sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis constitutis, omnino subjaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia, ac potestate simili rursus statuimus, decernimus, ac renovamus.

§. 10. Posteaquam vero, appellationis beneficio, ad alterum Judicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia, et singula quaecumque coram Judice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte, ac diligenter custodientur, citato in quolibet Judicii actu Defensore matrimonii, qui voce, et scripto matrimonii validitatem strenue, ac pro viribus tuebitur. Et si Judex in secunda instantia fuit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicae Nuncius, aut Episcopus

vicinior; Matrimonii Defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quae a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem Judex in secunda instantia erit Judex Commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio demandata sit, et qui Tribunal, et jurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat Defensore Matrimonii, volumus, ut illo Defensore Matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cujus Dioecesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam Sententiam in eadem causa pronunciaverit.

§. 11. Instructo autem in hunc modum judicio, si secunda Sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda, aeque ac in prima, nullum, ac irritum matrimonium judicatum fuerit, et ab ea Pars, vel Defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam mimime censuerit: in potestate, et arbitrio Conjugum sit novas nuptias contrahere; dummodo alicui eorum, ob aliquod impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram Sententiam conformem, ut supra, Conjugibus facta intelligatur, et locum habeat, salvo semper, et firmo remanente jure, seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cujuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem judicatam; sed si nova res, quae non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in judicialem controversiam revocari. Quod si a secunda Sententia super nullitate, vel altera Pars appellaverit, vel hujusmodi sit, ut ei, salva conscientia, Defensor Matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste injusta, vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut, firma remanente utrique Conjugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, poenis, ut praefertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia, vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a Nobis in prima, et secunda instantia demandata fuerunt, nempe, in quolibet judiciali actu, citato, et audito Defensore matrimonii, qui a Judice tertiae instantiae deputatus fuerit.

§. 12. Defensor autem Matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, et Ecclesiae reverentia, in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede, aut salario, aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab

ipsius Causae Judice ei constituatur, et ab ea Parte, quae pro validitate Matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur; sin minus, a Judice primae, vel secundae, vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecunias ex mulctis suorum Tribunalium redactas, vel redigendas, et in opera pia erogandas, in hujusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero Judices causae erunt Judices Commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus, ac mandamus, ut Defensori Matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cujus Dioecesi Judex Commissarius, juxta Sedis Apostolicae mandatum, judicium exercebit.

§. 13. Hactenus quidem quoad Causas Matrimoniales, quae extra Romanam Curiam pertractantur: Quoad Causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata Urbe, ejusque Suburbiis, et Districtu Vicarium nostrum in Spiritualibus pro tempore spectet; mandamus, ac jubemus, ut omnia, et singula, quae in aliis causis extra Romanam Curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut judicium peragatur, citato, et audito Defensore Matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut supra, omnino serventur: Tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia, ex consensu Partium, vel in secunda, per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia, Romam deferuntur; quas omnes judicari volumus, vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interterpretatione, et executione Concilii Tridentini, vel in causarum Palatii nostri Auditorio, dummodo Nobis, et Romano Pontifici pro tempore justis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanae Curiae Praelatorum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridenti Interpretum, Defensor Matrimonii a Cardinali Praefecto ejusdem Congregationis, si vero in Palatii nostri Auditorio, ab Auditore Decano praefati Tribunalis, si demum in Congregatione particulari, a Persona ejusdem Congregationis digniore deputetur.

§. 14. Unica quidem resolutio pro nullitate Matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in Palatii nostri Auditorio, unica Sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tri-

buendam liberam Conjugibus facultatem novas nuptias contrahendi. Sed, si causa in praefata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rursus in eadem, ad Defensoris Matrimonii instantiam, reproponatur; Si vero Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem ejusdem Defensoris, altera etiam particularis Congregatio deputabitur; Si vero in Palatii nostri Auditorio judicata sit, a praefato Defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus juxta ordinem in gyrum, seu turnum definiatur; Si autem causa universo Tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur: nolentes omnino, ut ullo in casu Matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo judicata, vel resolutiones, aut Sententiae penitus similes, et conformes, a quibus neque Pars, neque Defensor Matrimonii crediderit appellandum, emanaverint. Quod si secus factum fuerit, et novum initum Matrimonium, nostrae voluntatis hujusmodi transgressores poenis a Nobis, ut supra, statutis submittantur.

§. 15. Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione Matrimonii rati, et non consummati, quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam, a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent; ut hujusmodi instantiae ordine, ac rite procedant, volumus, ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex, eo lecto, et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem rejiciat, vel ejus examen alicui ex dictis Congregationibus committat; a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario ejusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia judicabit, an Congregationis Resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri Congregationi, vel Tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

§. 16. Demum volumus, ac decernimus, easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit,

in omnibus, et per omnia plenissime, et inviolabiter observari. Sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et S. Sedis Nuntios aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus verborum, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu, quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in aliis tradita observata eisdem praesentibus pro expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 17. Volumus autem, ut praesentes Literae in valvis Ecclesiae Lateranensis, et Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur, et affigantur, sicque publicatae, et affixae, omnes, et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent, et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam

Nostri decreti, statuti, constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo, quadragesimo primo, tertio nonas Novembris, Pontificatus Nostri Anno II.

XCI. Benedicti XIV. Declaratio die 4. novembris 1741 emissa cum instructione, super Dubiis respicientibus Matrimonia in Hollandia, et Belgio contracta, et contrahenda.

Matrimonia, quae in locis Foederatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis iniri solent, sive inter Haereticos ex utraque parte, sive inter Haereticum ex una parte Virum, et Catholicam Foeminam ex alia, aut viceversa, non servata forma a Sacro Tridentino Concilio praescripta, utrum valida habenda sint, nec ne, diu multumque disceptatum est, animis hominum, ac sententiis in diversa distractis: Id quod satis uberem anxietatis, ac periculorum sementem per multos annos subministravit, quum praesertim Episcopi, Parochi, atque illarum Regionum Missionarii, nihil certi hac super re haberent, nihil vero inconsulta Sancta Sede auderent statuere, ac declarare. Cum autem, proxime evolutis annis, in tam ancipiti, gravique causa Apostolicae Sedis judicium vehementius exposceretur, urgeretque id imprimis vigilantissimus Iprensis Episcopus, dum pro debito Officii sui, et sua erga Beati Petri Cathedram observantia, de Ecclesiae sibi concreditae statu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omnino esse tam prolixae dubitationi finem, gravissimis verbis, ac rationibus persuaderet: Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem, quantum oportebat, aestimaret, Sacrae Congregationi Eminentiss. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem Sacra Congregatio quam accuratissime procedere, commissae sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii Episcoporum Relationibus, atque sententiis, quas desuper explorari sategit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit praestantes aliquot hujus Almae Urbis Theo-

logos, quibus injunxit, ut rem totam ea qua decet, maturitate discuterent, suamque opinionem proferrent.

§. 1. At dum haec maxime agerentur, supersedendum per aliquot Menses fuit ab istiusmodi Causae expeditione, propter viduitatem, quae intercedit Romanae Ecclesiae, donec ad Summum Pontificatum feliciter evectus Sanctissimus D. N. Benedictus XIV. inter primas Regiminis sui curas, Causae hujus cognitionem repeti jussit a memorata Sacra Congregatione Concilii, quam voluit coram se haberi, ut, auditis Eminentissimorum Patrum Sententiis, ipse demum, quid hac de re tenendum foret, supremo suo pronunciaret oraculo. Cum igitur Congregatio praefata sub die 13. Maji currentis anni 1741. coram Sanctitate Sua fuerit habita, idem Sanctissimus D. N. spatio aliquo temporis ad rem secum expendendam accepto, hanc nuper Declarationem, et Instructionem exarari praecepit, qua, veluti certa regula, ac norma, omnes Belgii Antistites, Parochi, earumque Regionum Missionarii, et Vicarii Apostolici deinceps in hujusmodi negotiis uti debeant.

§. 2. Primo scilicet, quod attinet ad Matrimonia ab Haereticis inter se in locis Foederatorum Ordinum dominio subjectis celebrata, non servata forma per Tridentinum praescripta, licet Sanctitas Sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus, et attentis tunc expositis circumstantiis, Sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse; aeque tamen compertum habens nihil adhuc generatim, et universe super ejusmodi Matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum, et alioquin oportere omnino ad consulendum universis Fidelibus in iis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce Matrimoniis sentiendum sit, declarare; negotio mature perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit, statuitque, Matrimonia in dictis Foederatis Belgii Provinciis inter Haereticos usque modo contracta, quaeque imposterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse; Adeoque si contingat, utrumque Conjugem ad Catholicae Ecclesiae sinum se recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur; Sin autem unus tantum ex Conjugibus, sive Masculus, sive Foemina, convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

§. 3. Quod vero spectat ad ea Conjugia, quae pariter in iisdem Foederatis Belgii Provinciis, absque forma a Tridentino statuta, contrahuntur a Catholicis cum Haereticis, sive Catholicus Vir Haereticam Foeminam in Matrimonium ducat, sive Catholica Foemina Haeretico Viro nubat, dolens imprimis quam maxime Sanctitas Sua, eos esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus Connubiis, quae S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, et prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum Antistitum, qui, severioribus propositis spiritualibus poenis, Catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo sese Haereticis conjungant; Episcopos omnes, Vicarios Apostolicos, Parochos, Missionarios, et alios quoscumque Dei, et Ecclesiae fideles Ministros in iis Partibus degentes serio, graviterque hortatur, et monet, ut Catholicos utriusque sexus ab hujusmodi nuptiis in propriarum Animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant, easdemque Nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant. At, si forte aliquod hujus generis Matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum jam sit, aut imposterum (quod Deus avertat) contrahi contingat: declarat Sanctitas Sua, Matrimonium hujusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex Conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse, sub obtentu dictae formae non servatae, novum Matrimonium inire. Id vero debere sibi potissime in animum inducere Conjugem Catholicum, sive Virum, sive Foeminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, poenitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum Conjugem a vera Fide deerrantem ad gremium Catholicae Ecclesiae pertrahere, ejusque Animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de cetero, ut mox dictum est, se istius Matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

§. 4. Ad haec declarat Sanctitas Sua, ut quidquid hactenus sancitum, dictumque est de Matrimoniis sive ab Haereticis inter se, sive inter Catholicos, et Haereticos initis in locis Foederatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis, sancitum, dictumque intelligatur etiam de similibus Matrimoniis extra fines Dominii eorumdem Foederatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt Legionibus, seu Militaribus Copiis, quae ab iisdem

Foederatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque Arces conterminas, vulgo dictas di Barriera; Ita quidem, ut Matrimonia ibi praeter Tridentini formam, sive inter Haereticos utrinque, sive inter Catholicos, et Haereticos inita, valorem suum obtineant, dummodo uterque Conjux ad easdem Copias, sive Legiones pertineat; Et hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam Civitatem Mosae Trajectensis, a Republica Foederatorum Ordinum, quamvis non jure dominii, sed tantum oppignorationis, ut ajunt, nomine possessam.

§. 5. Tandem circa Conjugia, quae contrahuntur, vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis Foederatis domicilium habent, vel in Foederatis Provinciis ab habentibus domicilium in Regionibus Catholicorum Principum, nihil Sanctitas Sua de novo decernendum, aut declarandum esse duxit; volens, ut de iis, juxta canonica Juris communis principia, probatasque in similibus casibus alias editas a Sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur. Et ita declaravit, statuitque, ac ab omnibus imposterum servari praecepit. Die 4. Novembris 1741.

XCII. Pii VIII. breve die 25. Martii 1830 ad Archiepiscopum Coloniensem, et Episcopos Trevirensem, Monasteriensem et Paderbornensem quoad matrimonia mixta emissum.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. Literis altero abhinc anno ad Leonem XII. gloriosae memoriae Praedecessorem nostrum datis diligenter, Venerabiles Fratres, exposuistis arduum, in quo versamini, discrimen, propterea, quod civili lege isthic ante paucos annos lata praescriptum est, ut in matrimoniis mixtis liberi utriusque sexus in religione patris, aut certe ad eius arbitrium educentur, simulque Sacerdotibus interdictum, ne a personis matrimonia huiusmodi contracturis ullam exigant super religiosa nasciturae prolis institutione sponsionem. Et ipsi quidem vel ex eo tempore participes fuimus summi moeroris, quo idem optimus Pontifex affectus est ob angustias has vestras, quas eae literae plenius explicabant. Sed graviori adhuc molestia nunc angimur, quum humilitati Nostrae inscrutabili Dei iudicio reservatum est ea Vobis responsa reddere, quae Praedecessor noster, morte praeventus, non potuit. Siquidem Sanctae huic Sedi prorsus non licet illa omnia permittere, quae in istis regionibus ad eius le-

gis executionem postulari significastis. Verum duo sunt, quae haud parum Nos recreant, videlicet Vestrum pariter et Sacerdotum, qui sub Vobis sunt, pro doctrina Ecclesiae tuenda servandisque illius regulis studium, quod praedictis quoque ad Leonem XII. literis demonstrastis; ac Serenissimi Borussiae Regis indulgentia, qui, ut pariter innuistis, ipse auctor quodammodo Vobis fuit, ut Apostolicae huic Sedi integrum rerum statum ingenue explicantes, illam super anxietatibus Vestris consuleretis. Hinc enim merito confidimus, non modo Vos rescriptis hisce Nostris plane obsequuturos, sed ipsam quoque Serenissimi Regis Maiestatem Vobis non succensuram, si eidem in rebus civilibus ex animo obsecundantes, in iis tamen, quae non civiles matrimonii effectus, sed ipsam attingunt matrimonii eiusdem sanctitatem, et religiosa coniugum officia respiciunt, sacras religionis catholicae regulas custodiatis. Itaque ad rem propius venientes, haud Nobis opus est, ut Fraternitates Vestras sacra omni doctrina peritissimas edoceamus, quaenam adversus mixtas, de quibus agitur, nuptias ecclesiae ratio sit. Ergo ignotum Vobis non est, Ecclesiam ipsam a connubiis huiusmodi, quae non parum deformitatis et spiritualis periculi prae se ferunt, abhorrere, atque idcirco Apostolicam hanc Sedem summo semper constantique studio curasse, ut canonicae leges matrimonia eadem prohibentes religiose custodirentur. Quodsi Romani Pontifices a sanctissimo illo Canonum interdicto nonnumquam dispensasse inveniuntur, id profecto graves ob causas, et aegre admodum fecerunt, suisque dispensationibus adiicere consueuerunt conditionem expressam de praemittendis matrimonio opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus ex eodem matrimonio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Nostis autem, Venerabiles Fratres, ipsas omnes cautiones eo spectare, ut hac in re naturales divinaeque leges sartae tectae habeantur; quandoquidem exploratum est, catholicas personas, seu viros, seu mulieres, quae nuptias cum acatholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committant, non modo canonicas violare sanctiones, sed directe etiam gravissimeque in naturalem ac divinam legem peccare. Atque exinde iam intelligitis, Nos quoque gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore, si circa nuptias huiusmodi istis in regionibus contra-

hendas illa a Vobis, aut a parochis Vestrarum dioecesium fieri assentiremur, per quae si non verbis, factis tamen ipsis indiscriminatim approbarentur. Quare Nos summopere commendantes zelum illum Vestrum, quo catholicos Vestrae curae commissos a connubiis mixtis avertere hactenus allaborastis, enixe Vos in Domino exhortamur, ut posthac pariter in id ipsum sedulo incumbatis in omni patientia et doctrina: horum deinde laborum copiosam in coelis mercedem accepturi. Juxta haec igitur, quoties praesertim catholica aliqua mulier viro acatholico nubere velit, diligenter ab episcopo seu a parocho edocenda erit, quaenam circa huiusmodi nuptias Canonum sententia sit, serioque admonenda de gravi scelere, quo apud Deum rea fiet, si eos violare praesumat; et maxime opportunum erit eandem adhortari, ut meminerit firmissimum illud religionis nostrae dogma, quod extra veram catholicam fidem nemo salvus esse potest: proindeque agnoscat se in filios, quos a Deo exspectat, iam nunc crudelissime acturam, si tales contraxerit nuptias, in quibus sciat illorum educationem in viri acatholici arbitrio futuram. Quae quidem salubria monita erunt etiam prout prudentia suggesserit iteranda eo praesertim tempore, quo nuptiarum dies instare videatur, dumque consuetis proclamationibus disquiritur, utrum alia sint, quae illis obstent, impedimenta canonica. Quodsi nonnullis in casibus paterna huiusmodi sacrorum pastorum studia in irritum cadere contingat, tum sane abstinendum erit a catholica eadem persona censuris in illam nominatim expressis corripienda, ne tumultus aliquis excitetur, et graviora rei catholicae mala obveniant; sed alia ex parte abstinere etiam Catholicus Pastor debebit non solum a nuptiis, quae deinde fiant, sacro quocumque ritu honestandis, sed etiam a quovis actu, quo approbare illas videatur. Quam circa rem illud solummodo in nonnullis locis toleratum est, ut parochi, qui ad graviora rei catholicae incommoda avertenda praesentiam suam contrahendis his nuptiis praestare cogebantur, paterentur quidem eas ipsis praesentibus confici (si scilicet nullum aliud obstaret canonicum impedimentum) ut audito utriusque partis consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referrent, sed caverent semper ab illicitis huiusmodi matrimoniis ullo suo actu approbandis, multoque magis a sacris precibus et ab ecclesiastico quovis ritu eisdem admiscendo. Sequitur iam, ut de illorum causa respondeamus, qui matrimonia mixta inire ausi fuerint, catho-

lico pastore non praesente. Et hac quidem super re ita Nobis censuimus statuendum, ut avertantur, quoad fieri poterit, scandala, quae ex huiusmodi nuptlis oriri denunciastis, itemque ut Catholici illi, qui in coniunctione vivant eo modo inita, facilius induci possint ad peccatum suum salutaribus poenitentiae lacrymis expiandum, denique ut in posterum certa omnibus regula sit, qua de vi matrimoniorum ea ratione contrahendorum diiudicent. Jam vero ad coniunctiones quod attinet, quae isthic usque ad praesens tempus sine parochi praesentia initae sunt, Nos brevi delegabimus Fraternitatibus Vestris necessarias facultates, quarum vi malis exinde ortis magna saltem ex parte mederi valeatis. Nunc autem per Nostras has literas volumus et mandamus, ut matrimonia mixta, quae posthac (a die videlicet 25. Martii 1830) in Vestris dioecesibus contrahi contingat non servata forma a Tridentino Concilio praescripta, si eisdem nullum aliud obstet canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur; prout Nos auctoritate Nostra apostolica matrimonia ea vera ac rata fore declaramus atque decernimus contrariis non obstantibus quibuscumque. Quocirca catholicae personae, quae in posterum matrimonia hoc modo contraxerint, dum nullum aliud iis obstaret dirimens canonicum impedimentum, a sacris pastoribus edocendae erunt, ipsas verum et ratum coniugium inivisse. Insuper pastorum officium erit, catholicos quoslibet, praesertim vero catholicas mulieres, quae cum acatholicis validas quidem, sed tamen illicitas nuptias contraxerint, opportuno tempore admonere in caritate Dei et patientia Christi, ut de gravi patrato scelere poenitentiam agant, suisque satisfaciant obligationibus, ei praesertim, qua erga suos filios ipsae semper tenebuntur, ad catholicam videlicet illorum omnium educationem pro viribus seduloque curandam. Posthaec supervacaneum ducimus, Venerabiles Fratres, Vos excitare, ut attendatis, quanta prudentia hisce in casibus agendum sit, ne Catholicae Religioni creetur invidia, quandoquidem Fraternitates Vestras id probe nosse compertum Nobis exploratumque est. Sic agite igitur, sicque a Vobis admoniti agant parochi, ut omnes videant, Catholicos Sacerdotes non alio, quam officii sui adimplendi spiritu animari, ut in iis, quae religionis sunt, Ecclesiae regulas servent, ipsosque eodem spiritu duci, ut in iis, quae civilis sunt ordinis, regias leges non propter servilem quemdam metum, sed propter conscientiam custodiant. Nobis quidem vehementer dolet, quod Vos ab

his, in quibus estis, angustiis penitus eximere non potuerimus. Sed nolite deficere animo. Ipse Serenissimus Rex, qui propensam in catholicos sibi subditos voluntatem solemniter patefecit, factoque ipso aliis occasionibus comprobavit, non patietur (ut plane confidimus) in hoc negotio, quod religiosa vestra officia directe afficit, Vos diutius exagitari, sed anxietatibus Vestris pro sua clementia commotus, et Nostris pariter votis obsecundans, Vobis remittet, ut Religionis Catholicae regulas hac etiam in re servare ac exequi libere valeatis. Quod ut feliciter eveniat, a Deo, in cuius manibus corda sunt regum, suppliciter implorandum est: quemadmodum assiduis precibus Nos facimus, et Vos pariter enixe facturos non dubitamus. Interea praecipuae, qua Vos amplectimur, caritatis testem esse volumus apostolicam benedictionem, quam Fraternitatibus Vestris, nec non omni Clero ac fideli populo Vestris curis concredito peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 25. Martii 1830.

XCIII. Instructio Cardinalis Albani d. 27. Martii 1830 quoad matrimonia mixta lata.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. VIII. ad Archiepiscopum Coloniensem, atque ad Episcopos Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem rescribens per literas datas die 25. Martii 1830 eis iam significavit, quam magno moerore ipse affectus sit ob graves angustias, in quibus illos versari cognoverat, propterea quod civilis lex in eorum regionibus anno 1825 lata statuerit, ut proles utriusque sexus ex matrimoniis mixtis orta in religione patris, aut certe ad eius arbitrium educetur, et sacerdotibus interdixerit, ne a personis connubia huiusmodi contracturis ullam exigant super religiosa futurae prolis educatione sponsionem. Non enim potuit Sanctitas Sua ullo modo declinare a constanti illo studio, quo Sedes Apostolica semper advigilavit, ut Sacri Canones, qui mixtas huiusmodi nuptias deformitatis et spiritualis periculi plenas severe prohibent, religiose custodirentur. Multo autem minus declinare potuit a sanctissimo illo Sedis eiusdem instituto, per quod Romani Pontifices, quum interdum (aegre scilicet et graves tantum ob causas) matrimonia huiusmodi permitterent, suis dispensationibus adiicere consueuerunt conditionem expressam de praemittendis matrimonio opportunis cautionibus, non modo ut conjux catholicus ab acatholico perverti non posset,

quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus ex eo coniugio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Cum enim non ecclesiastica solum, sed naturalis ac divina prorsus lex vetet, ne homo in nuptiis contrahendis se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committat, exinde sane manifestum est, memoratas omnes cautiones idcirco adhiberi, ut naturalis eadem divinaque lex sarta tecta habeatur. Quare Sanctitas Sua debitis prosequens laudibus praedictos Antistites pro pastorali zelo, quo Catholicos suae curae creditos avertere conati sunt a nuptiarum foedere illicite cum acatholicis coniungendo, illos enixe in Domino adhortata est, ut posthac quoque in id ipsum sedulo prudenterque allaborent, simul vero et nonnulla iisdem literis praescripsit, quae Episcoporum eorumdem molestiis leniendis profutura viderentur, quaeque pertinerent ad catholicos in illicita illa connubia prolabentes ad meliora consilia atque ad salutarem poenitentiam facilius reducendos. Atque una declaravit, magnam se erigi in spem non modo Episcopos pontificiis illis rescriptis religiose obsecuturos, sed ipsum quoque Serenissimum Regem pro sua aequitate et erga catholicos sibi subditos indulgentia haud aegre laturum, si animarum pastores Maiestati Suae in civilibus rebus ex animo obsecundantes, in hoc tamen negotio, quod ipsam attingit matrimonii sanctitatem et religiosa coniugum officia respicit, sacras religionis Catholicae regulas observent. Quam utramque spem nunc etiam magnopere fovet Summus Pontifex, dum hac instructione supradictis quatuor Episcopis nunciari vult alia nonnulla, quae circa eandem rem indulgenda, aut toleranda decrevit. Et primo quidem ad matrimonia quod attinet, quae in quatuor Dioecesibus Coloniensi, Trevirensi, Paderbornensi, et Monasteriensi hucusque inita sunt praeter formam a Tridentino Concilio praescriptam, iam SSmus D.N. suis illis ad Episcopos literis indicavit, se eisdem delegaturum facultates idoneas, ut possint malis exinde ortis magna saltem ex parte mederi. Nimirum Summus Pontifex, memor Vicarium se esse Jesu Christi, qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, ad infelicem respexit illorum catholicorum conditionem, qui in coniugio viventes coram Deo et Ecclesia irrito, sed coram civilibus loci legibus valido, in magna redeundi ad bonam frugem difficultate versantur, et misericordia erga eos motus ipsis aperire decrevit faciliorem viam ad poenitentiam. Itaque Archi-

episcopo Coloniensi, et Episcopis Trevirensi, Paderbornensi et Monasteriensi per hanc instructionem significatur, Sanctitatem Suam augere illos auctoritate necessaria et opportuna, cuius vi unusquisque illorum tamquam delegatus Apostolicae Sedis possit in sua dioecesi confirmare atque etiam in radice sanare nuptias usque ad diem receptionis praesentis instructionis initas inter unam partem catholicam, et alteram acatholicam, quae irritae idcirco sint, quod in eis contrahendis servata non fuerit forma a Tridentino Concilio praescripta. Et quoniam nonnullae ex mixtis nuptiis hucusque contractis irritae item sunt propter alia, quae iisdem obstabant, canonica impedimenta, ideo SSmus D. N. plenam ipsis quatuor Episcopis addit potestatem, qua eorum quisque tamquam Sedis Apostolicae delegatus ab impedimentis illis in sua dioecesi valeat dispensare, dummodo scilicet de iis agatur impedimentis, a quibus Apostolica Sedes ob graves causas dispensare iam solet, et dummodo dispensatio ipsa pertineat ad sananda coniugia mixta ibidem usque ad praesens tempus contracta. Quam quidem auctoritatis vim eo libentius Sanctitas Sua eisdem Episcopis delegat, quod praeclaram de illorum virtute opinionem fovet, planeque confidit, ipsos potestate tam ampla prudentissime usuros. Et praeterea Summus Pontifex declarat Episcopos eosdem illa omni potestate uti posse etiam per alios idoneos ecclesiasticos viros a se speciatim subdelegandos. Nonnulla tamen sunt ad eius auctoritatis usum spectantia, de quibus Sanctitas Sua Episcopos eorumque subdelegatos admoneri mandavit. Primo scilicet, ut in singulis casibus perspiciant, an matrimonium, quod irritum erat, instaurari valeat nova per utramque partem consensus significatione; ea scilicet significatione, quae debito modo fiat et cui cautiones praecedant, quae pro coniugiis mixtis a Sede Apostolica exigi consueuerunt. Et hanc quidem consensus renovationem tunc ipsi procurent, quando omnibus specialis cuiusque casus adiunctis diligenter perpensis, nullum gravioris mali periculum fore censuerint in ea re postulanda et perficienda: contra vero si gravia ea mala iuste metuenda esse cognoscant, licebit eisdem matrimonium sanare in radice. Secundo, ut quoties in casibus huiusmodi matrimonium sanant in radice, admonere omnino teneantur catholicam partem de gravitate sceleris ab ipsa patrati, eique salutarem pro eodem peccato poenitentiam imponere, atque inprimis adhortari illam in Domino, ut suis obligationibus sedulo satisfaciat, ei praesertim, quae catholicam filio-

rum utriusque sexus educationem respicit. Tertio, ut Episcopi et eorum subdelegati abstineant ab iis nuptiis imprudenter confirmandis, quae coram civili lege brevi dissolvendae praevideantur per sententiam laici magistratus divortium inter partes pronunciantem. Et haec quidem SSmus D. N. indulgenda decrevit ad catholicos, qui in praedictis quatuor dioecesibus illicita simul et irrita coniugia ad praesens usque tempus cum acatholicis contraxerunt, in viam salutis facilius revocandos.

Idem vero indulgentiae modus nequaquam adhiberi debet erga illos, qui futuro tempore nuptias mixtas et irritas inire ausi fuerint, quandoquidem ex ipsis facilis remedii spe animum plures sumerent ad peccandum. Ceterum Sanctitas Sua in literis ad eosdem Episcopos datis, quae supra memoratae sunt, iam declaravit matrimonia mixta in praedictis quatuor dioecesibus in posterum (videlicet a die 25. Martii 1830) ineunda vera et rata matrimonia fore, quamvis praeter formam contrahantur a Tridentino Concilio praescriptam, dummodo tamen nullum aliud eis obstaret canonicum dirimens impedimentum. Novit equidem Summus Pontifex molestias illas gravissimas, in quibus quatuor illi Episcopi in praesentia versantur, ex eo etiam oriri, quod catholici quidam insano amore turpiter dementati nuptias contrahere optant cum acatholicis sibi coniunctis, et sacerdotes vexant eisdem ea in re connivere abnuentes. Adhuc tamen Sanctitas Sua Antistites ipsos in Domino adhortatur, ut illorum improbitati suam in pastoralibus officiis constantiam opponant, quin imo et eosdem ad saniora satagant consilia revocare. Quodsi aliquo in casu, paternis hisce sacrorum pastorum studiis in irritum cadentibus, catholica persona a proposito coniugii cum acatholico sibi propinquo ineundi removeri non possit et impedimentum, cuius relaxatio postulatur pro nuptiis valide contrahendis, pertineat solummodo ad remotiores gradus, videlicet ad tertium aut quartum gradum, sive consanguinitatis sive affinitatis, vel ad cognationem spiritualem (illa tamen excepta, quae inter levantem et levatum intercedit) vel tandem ad publicam honestatem ex sponsalibus ortam: tunc Episcopum ipsum considerare oportebit, utrum iusta atque urgens sit concedendae dispensationis causa, et talis illa scilicet, ut non privatorum hominum duntaxat, sed publicam ipsam religionis catholicae rationem spectet, atque una oportebit illum implorare fervidis precibus lumen Spiritus S. ut deinde in re tanti momenti id consilii capiat, quod magis in Domino expedire censuerit. Jam

vero si quis ex quatuor Episcopis saepe memoratis eadem illa causae gravitate permotus, ab aliquo praedictorum graduum (non tamen ab aliis gradibus, neque ab alio quovis impedimento) ad contrahendas nuptias mixtas dispensaverit, hoc sane Summus Pontifex nullo unquam suo actu probaturus est, tolerabit tamen invito quidem sed patienti animo, dummodo dispensatio huiusmodi ab Episcopo data fuerit intra tempus mox explicandum, aliisque servatis, quae pariter modo declarabuntur. Nimirum primo cum facultates aliae, quas Sedes Apostolica iisdem Episcopis delegare iam consuevit pro matrimoniis inter catholicos ineundis, ad quinquenii tempus definitae sint, declarat Sanctitas Sua praedictam quoque tolerantiam ad quinquennium solummodo ab hac die 27. Martii 1830 inchoandum duraturam, et ita quidem, ut quum deinde facultates illae, quae pro matrimoniis inter catholicos delegari solitae sunt, ad aliud rursus quinquennium concedantur, non tamen idcirco tolerantia haec prorogata censeri valeat, nisi ipsa quoque novo actu verbisque expressis fuerit repetita. Insuper secundo, decrevit etiam SSmus D. N. ut quoties pro matrimonio mixto dispensatio petatur a gradibus eadem tolerantia comprehensis, Episcopus concedere illam nequeat, nisi postquam catholicam partem edocuerit, quaenam circa mixtas huiusmodi nuptias canonum sententia sit, et illam paterne et sedulo adhortatus fuerit ad eosdem religiose custodiendos, monueritque inprimis de gravissimo scelere, quo apud Deum rea fiet, si nuptias huiusmodi contrahere audeat, non praemissa eisdem idonea cautione de liberis utriusque sexus in religionis catholicae sanctitate omnino educandis. Tertio, atque si alio in casu (quod Deus avertat) contigerit, ut Episcopus, qui instructione monitisque huiusmodi nihil profecerit ad catholicam ipsam partem ab improbo suo consilio retrahendam, necessitati cedendum iudicet, et dispensationem a se tribuendam, quamvis idonea illa de liberis catholice educandis cautio non interveniat: statuit Sanctitas Sua, ut tum quoque Episcopus ipse dispensare non possit, nisi per diploma scriptum seu per literas catholicae eidem parti tradendas, ubi perspicuis verbis denuncietur: impedimentum, quod nuptiis obstaret, idcirco tantum eo in casu relaxari, ne graviora scandala eveniant, ac proinde matrimonium quidem fore verum et ratum, sed tamen peccaturam gravissime catholicam partem, quae illud contrahat contra regulas catholicae religionis. Porro quum deinde eaedem nuptiae illicitae hac ratione contrahentur, non modo

abstinendum erit ab ecclesiastico quovis ritu nuptiis iis admiscendo, sed etiam a quocunque alio actu, quo sacerdos approbare illas videatur, quemadmodum in supradictis Sanctitatis Suae literis praescriptum est. Post haec Sanctitas Sua ad Crucifixi pedes provoluta protestatur, se ad tolerantiam praedictam ea duntaxat de causa adduci, seu verius pertrahi, ne graviora rei catholicae incommoda obveniant. Ceterum tolerantia eadem Episcopum satis in conscientia tutum faciet, si tamen ipse id gesserit, quod implorato Sancti Spiritus lumine censuerit in Domino expedire et cetera omnia quae dicta sunt, religiose servaverit. Postremo Sanctitas Sua Episcopos monet enixeque in Domino obtestatur, ut videant etiam atque etiam, ne ex huiusmodi ipsorum ratione erga mixta connubia illicite contracturos contingat, ut in catholico populo extenuetur memoria canonum matrimonia illa detestantium, et constantissimi studii, quo sancta mater Ecclesia filios suos avertere satagit ab eisdem in suarum animarum perniciem ineundis. Hinc Episcoporum, aliorumque, qui sub illis sunt, sacrorum pastorum officium erit, flagrantiori in posterum zelo in id incumbere, ut in Catholicis eorum curae commissis tum privatim tum publice instruendis doctrinam et leges Ecclesiae ad connubia eadem pertinentes prudenter simul et sedule commemorent, earumque custodiam incutiant. Romae die 27. Martii 1830. I. Card. Albanus.

XCIV. Gregorii XVI. literae die 23. Maji 1846 ad Archiepiscopum Friburgensem quoad matrimonia mixta datae.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Non sine gravi animi nostri moerore jam noscebamus, Venerabilis Frater, quae Tuis literis die 4. proximi mensis Martii ad nos datis dolenter significas de deploranda in istis regionibus catholicos inter et acatholicos matrimoniorum frequentia, deque civilis potestatis in ejusmodi nuptiis agendi ratione. Compertum enim exploratumque est, catholicos seu viros seu mulieres, qui mixtis nuptiis temere contrahendis se ac prolem inde suscipiendam in perversionis periculum injiciunt, contra naturalem divinamque legem peccare. Quam sane legem sartam tectamque tueri contendit Ecclesia et haec Apostolica Sedes, seu in generali ipsarum nuptiarum prohibitione, seu in cautionibus, quas jure suo exigit, cum ob graves aliquas causas ea conjugia

aegre admodum sinit, ut scilicet non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non possit, quin potius ille teneri se sciat ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut proles utriusque sexus ex hisce matrimoniis procreanda in Catholicae Religionis sanctitate omnino educari debeat. Quamobrem, Ven. Frater, meritis Te in Domino laudibus summopere prosequimur, quod pro Episcopalis tui ministerii officio in tanti momenti rem curas cogitationesque merito convertens Ecclesiae de mixtis matrimoniis doctrinam ejusque libertatem tueri et vindicare studueris, ac pastorali robore et constantia exortos abusus de medio tollere, tuisque praesertim parochis saepius praecipere, et mandare non destiteris, ut in hujusmodi nuptiis Ecclesiae regulas a nobis et praedecessoribus nostris tanto studio inculcatas religiosissime servent. Et quidem quod ad benedictionem attinet, eam, veluti optime noscis, haec apostolica Sedes prohibere consuevit in illis quoque matrimoniis, quae inter Catholicos et Acatholicos ineuntur impetrata cjusdem Sedis venia, atque adhibitis cautionibus in illa praescriptis. Atque etsi deinde tolerari potuerit, ut mos in nonnullis regionibus inductus servaretur benedicendi matrimoniis mixtis initis cum Ecclesiae venia et praedictis cautionibus, nunquam tamen toleranda est eadem benedictio in iis casibus, in quibus nulla accedente Ecclesiae venia, nec praeviis necessariis cautionibus, manifestum idemque gravissimum admittitur crimen in ipso matrimonii foedere ineundo. Nunquam enim tolerari debet, ut sacrilegis hisce contractibus sacri ritus admisceantur, et sacerdotes Dei videantur suo facto probare, quod ore illicitum esse edocent et praedicant. Atque id probe sentiunt adversarii nostri, qui certe in hujusmodi nuptiis de catholici sacerdotis benedictione minime laborarent, nisi intelligerent illam conducere ad extenuandam, atque adeo ad obliterandam sensim in catholici populi animis memoriam canonum, qui haec detestantur connubia, et constantissimi studii, quo S. Mater Ecclesia filios suos avertere consuevit ab iisdem conjugiis in eorum futuraeque prolis perniciem contrahendis. Nostri scilicet contradictores cognoscunt, si res ex eorum votis succederet, facile inde futurum, ut catholicae potissimum foeminae aut licita, aut non tam graviter illicita existimarent ea conjugia, quae sacris Ecclesiae ritibus et sacerdotali benedictionc honestari viderent. Atque haec consona sunt praeceptionibus et monitis, quae sive in nostris sive in decessoris nostri Pii VIII. ad diversos Archiepiscopos et

Episcopos literis sive instructionibus aut ejus aut nostro jussu editis consignatae fuisse cognoscis Ven. Frater. Nec vero refert, si ad nonnullos tantum Antistites, qui hanc Apostolicam Sedem consuluerant, illae instructiones datae sunt, quasi aliis liberum sit illarum non sequi sententiam. Enimvero non agitur hic de aliqua nova lege a nostro praedecessore aut a nobis inducta, quum uterque nostrum eo potius spectaverit, ut pro locorum adjunctis emolliremus, quoad fieri posset, disciplinae severitatem et ea simul inculcaremus, quae pravis usibus tollendis sanae doctrinae deposito custodiendo ac matrimonii sanctitati, Catholicae Religionis incolumitati, et animarum saluti tuendae necessaria judicavimus. Itaque etiamsi literae et instructiones illae, in qua parte aliquid novi indulgent vel tolerant, ad ea tantum referuntur loca, pro quibus datae sunt, nullis tamen limitibus illarum circumscribitur ratio, quatenus incommutabilem annunciant Ecclesiae doctrinam, canonumque inculcant sententiam, et pravos, qui alicubi invalescant, usus proscribunt. Atque huc pertinent, quae hac de re a nobis indicata fuerint in pluribus Allocutionibus ad Ven. Fratres nostros S. R. E. Cardinales in Consistorio IV. Id. Dec. 1837, Idib. Sept. 1838, et postridie Non. Julii 1839 habitis, quas statim typis in vulgus edi jussimus. Haec Tuis commemoratis literis rescribenda censuimus, Ven. Frater, ut alacriori usque studio et firmitate omnes boni pastoris partes implere atque in tanti momenti negotio Ecclesiae causam propugnare pergas, nihilque intentatum relinquas, quod ad Tui gregis salutem procurandam pertinere posse cognoveris. Nos quidem pro officii nostri munere, quantum cum Domino poterimus, haud omittemus omnem operam adhibere, ut sacrae istic res Deo bene juvante in meliorem conditionem adducantur. Interim vero dum Tibi de pastorali Tua sollicitudine vehementer gratulamur, nostrae in Te praecipuae benevolentiae testem, ac coelestium omnium munerum auspicem Apostolicam Benedictionem ex intimo corde depromtam Tibi ipsi, Ven. Frater, et omnibus istius Ecclesiae clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 23. Maii 1846.

Bonnae, formis Caroli Georgi.